nongentos annos quemquam vixiſſe, debet intelligere nonaginta; decem quippe illi anni unus eſt noſter, & decem noſtri centum illi fuerunt. At per hoc, ut putant, viginti trium annorum fuit Adam, quando genuit Seth & ipſe Seth viginti habet & ſex menſes, quando ex illo natus eſt Enos, quos appellat Scriptura ducentos & quinque annos. Quoniam ſicut iſti ſuſpicantur, quorum exponimus opinionem, unum annum, qualem nunc habemus, in decem partes illi dividebant, & eaſdem partes annos vocabant &c.

IV. Et hoc ſe colligere arbitrabantur, proſequitur S. Auguſtinus quia *per omnes generationes, in quibus hominum anni commemorantur ante Diluvium, nullus fere in noſtris Codicibus invenitur, qui cum eſſet centum annorum, vel infra, vel etiam centum viginti, aut non multo amplius, genuit filium; ſed qui minima ætate genuerunt, centum, & ſexaginta, & quod excurrit, fuiſſe referuntur. Quia nemo, inquiunt, decem annorum homo poteſt gignere filios, qui numerus centum appellabantur anni ab illis hominibus. Sed in annis ſexdecim eſt matura pubertas, & proli jam idonea procreandæ, quos centum & ſexaginta annos illa tempora nuncupabant.*

V. Porro quomodo credibilem hanc exiſtimationem eſſe perſuadere conarentur, ſic S. Auguſtinus oſtendit: *Ut autem aliter annum tunc fuiſſe computatum non ſit incredibile, adjiciunt, quod apud pleroſque Scriptores hiſtoriæ reperitur, Ægyptios habuiſſe annos quatuor menſium, Acarnanos ſex menſium, Lavinios tredecim menſium. Plinius ſecundus cum commemoraſſet, relatum fuiſſe in litteras, quemdam vixiſſe centum quinquaginta duos annos, & alium decem amplius, alios ducentorum annorum habuiſſe vitam, alios trecentorum, quoſdam ad quingentos, alios ad ſexcentos, nonnullos ad octingentos etiam perveniſſe; hæc omnia propter inſcitiam temporum peraccidiſſe arbitratus eſt. Alii quippe, inquit, æſtate unum determinabant annum, & alterum hyeme; alii quadripartitis temporibus, ſicut Arcades, inquit, quorum anni trimeſtres fuere. Adjecit etiam aliquando Ægyptios, quorum parvos annos quaternorum menſium fuiſſe ſupra diximus, Lunæ fine limitaſſe annum. Itaque apud eos, inquit, & ſingula millia annorum vixiſſe produntur.*

His (concludit S. Doct.) *velut probabilibus argumentis quidam non deſtruentes fidem ſacræ hujus hiſtoriæ, ſed adſtruere nitentes, ne ſit incredibile, quod tam multos annos vixiſſe referuntur Antiqui, perſuaſerunt ſibi; nec ſe ſuadere imprudenter exiſtimant, tam exiguum ſpatium temporis tunc annum vocatum, ut illi decem ſint unus noſter, & decem noſtri centum illorum.* De vario modo annos computandi videri poſſunt Alexander ab Alexandro *Dierum genial. lib. 3. cap. 24.* Giraldus *de diebus, annis, & menſibus*, aliique. Nobis ad reſolutionem quæſtionis veniendum eſt.

§. II.

Veritas ſtatuitur.

IV. Dico. Anni, quibus vixiſſe Adam, cæteroſque Patriarchas ante diluvium ex Moyſe ſupra retulimus, fuerunt anni pares noſtris, duodecim nimirum menſibus conſtantes, non menſtrui, aut bimeſtres, aut quadrimeſtres.

Probo primo non fuiſſe annos menſtruos, ſive conſtantes ſolis triginta, vel triginta ſex diebus. Si enim hoc eſſet, ſequeretur, Cainan, qui genuit Malaleel anno ſuæ ætatis ſeptuageſimo, & Malaleel, & Henoch, qui anno ætatis ſexageſimo quinto genuerunt, ille Jared, iſte Mathuſalem, generaſſe, cum ſolum vixiſſent quinque, vel ſex annis noſtræ computationis: ſed hoc incredibile eſt: ergo &c. Similiter cum *Geneſ. 11. ver. 12.* genuiſſe legatur Sale anno ætatis trigeſimo quinto; & tum Sale, tum Phaleg, & Sarug cum vixiſſent annis triginta, & Nachor cum vixiſſet annis viginti novem; ſi anni paulo plus fuiſſent, quam menſes, nempe vel triginta, vel triginta ſex dies quilibet annus, jam ſequeretur, eos generationi aptos fuiſſe, & de facto genuiſſe paulo poſt ſecundum, vel tertium ætatis annum ſecundum noſtram computationem: ſed hoc quis credere poterit?

VII. Si reſpondeas, ſeptuaginta Interpretes multo plures annos tribuere præfatis viris, quando filios genuerunt; unde non ſequi abſurdum, quod inferimus. Ant. probatur. Ubi enim Vulgata noſtra dicit, Cainan genuiſſe anno ætatis ſeptuageſimo; Verſio Septuaginta legit anno ætatis centeſimo ſeptuageſimo. Ubi Vulgata legit Malaleel genuiſſe anno ætatis ſexageſimo quinto; Verſio Septuaginta vertit anno ætatis centeſimo ſexageſimo quinto. Ubi noſtra Vulgata dicit, Enoch anno ætatis ſexageſimo quinto genuiſſe Mathuſalam; Verſio Septuaginta legit anno ætatis centeſimo ſexageſimo quinto. Hac autem ætate, etſi anni eorum menſtrui fuiſſent, habiles generationi extitiſſent: centum enim ſexaginta quinque anni eorum reſpondent ſexdecim cum dimidio noſtris.

VIII. Dicam tamen, admiſſo ant. negando conſeq. Fides enim adhibenda potius eſt Vulgatæ noſtræ quam Verſioni Septuaginta, quæ extat. Tum quia Vulgata noſtra tamquam authentica omnibus proponitur a Tridentino *ſeſſ.* 4. Tum quia concordat textui originali Hebraico. Quare illa additio centum annorum, quæ in Verſione Septuaginta reperitur, mendum eſt. Nam ſi hæc Græcæ Verſionis ſupputatio valeret, jam Mathuſala ſupervixiſſet diluvio annis quatuordecim, ut deducit S. Hieron. in *qu. ſeu tradit. Hebraicis*, & alii poſt ipſum. Quod tamen eſſe non poteſt: cum ex Geneſ. cap. 7. conſtet, omnes homines mortalem vitam agentes diluvio periiſſe, præter Noe, & eos, qui cum ipſo fuerunt in Arca, hoc eſt, præter octo, ut 1. *Petri 3. ver.* 20. inter quos certe Mathuſala non fuit. Si vero Hebræorum, ac Latinorum Codicum ſuppoſitionem ſequamur, inveniemus, Mathuſala non ſupervixiſſe diluvio, ſed ipſo diluvii anno obiiſſe paucis (quidam ſcribunt ſeptem) diebus ante diluvium. Ab initio namque Mundi uſque ad diluvium fluxerunt anni mille ſexcenti quinquaginta ſex: Mathuſala vero natus fuit anno Mundi ſexcenteſimo octogeſimo ſeptimo; cui numero ſi addantur anni nongenti ſexaginta novem, quibus ipſe vixit, reperietur, eum ſolum vixiſſe ad annum milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimum ſextum, qui fuit annus diluvii.

IX. Rem hanc S. Hieronymus laudatus ita exponit. *Famoſa quæſtio, & diſputatione omnium Eccleſiarum ventilata, quod juxta diligentem ſupputationem, quatuordecim annos poſt diluvium Mathuſala vixiſſe referatur. Etenim cum eſſet Mathuſala annorum centum ſexaginta ſeptem, genuit Lamech. Rurſus Lamech cum eſſet annorum centum octoginta octo genuit Noe, & ſunt uſque ad diem nativitatis Noe anni vitæ Mathuſalæ trecenti quinquaginta quinque. Sexcenteſimo autem anno vitæ Noe diluvium factum eſt, ac per hoc habita ſupputatione per partes, nongenteſimo quinquageſimo quinto anno vitæ Mathuſalæ diluvium fuiſſe convincitur. Cum autem ſupra nongentis ſexaginta novem annis vixiſſe ſit dictus, nulli dubium eſt, quatuordecim eum annos vixiſſe poſt diluvium. Et quomodo verum eſt, quod octo tantum animæ in Arca ſalvæ factæ ſunt?*

Reſtat ergo, ut quomodo in pleriſque, ita & in hoc ſit error in numero. Siquidem & in Hebræis, & in Samaritanorum libris, ita ſcriptum reperi: Et vixit Mathuſala centum octoginta ſeptem annis, & genuit Lamech. Et vixit Mathuſala, poſtquam genuit Lamech, ſeptingentos octoginta duos annos, & genuit filios, & filias. Et fuerunt omnes dies Mathuſalæ anni nongenti ſexaginta novem, & mortuus eſt. Et vixit Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit Noe. A die vero nativitatis Mathuſalæ uſque ad diem nativitatis Noe, ſunt anni trecenti ſexaginta novem. His adde ſexcentos Noe, quia in ſexcenteſimo vitæ ejus anno factum eſt diluvium: atque ita fit, ut nongenteſimo ſexageſimo nono anno vitæ ſuæ Mathuſala mortuus ſit, eo anno, quo cœpit eſſe diluvium.

X. S. Hieronymo concinit S. Auguſtinus, dum *lib. 15. de Civit. Dei cap.* 11. propoſita hac quæſtione, & relata opinione aliquorum, qui ſuppoſitionem lxx. Interpretum ſuſtinere volentes, nec valentes negare, ea poſita, ſequi Mathuſala quatuordecim annis diluvio ſupervixiſſe, ad has anguſtias redigebantur; ut dicerent, Mathuſala (durante diluvio) cum Patre ſuo Henoch, qui tranſlatus fuerat, aliquantum fuiſſe, atque ibi, donec diluvium præteriret, vixiſſe. Ea opinione cui voluerit relicta: *Certum eſt* (inquit) *non vixiſſe Mathuſalam poſt diluvium, ſed eodem anno fuiſſe defunctum, ſi verum eſt, quod de numero annorum in Hebræis Codicibus invenitur.*

XI. Libro autem 15. *de Civit. Dei cap.* 13. quatenus, cuinam in dinumeratione annorum ſtandum ſit, an textui Hebraico, an Verſioni lxx. Præmiſſo, incredibile eſſe, Judæorum gentem tam longe, lateque diffuſam, in hoc conſcribendo mendacio uno conſilio conſpirare potuiſſe; ac ſimiliter incredibile eſſe, ſeptuaginta illos Senes, qui etiam Judæi erant, unum invicem de hac diverſitate communicaſſe conſilium, concludit, eam diverſitatem in ſupputatione credibilius irrepſiſſe vitio Scriptoris, qui ex Ptolomæi bibliotheca primus exſcripſit, unde in alios omnes codices error manaverit. *Itaque illa diverſitas numerorum aliter ſe habentium in Codicibus Græcis, & Latinis, aliter in Hebræis, ubi non eſt iſta de centum annis prius additis, & poſtea detractis per tot generationes continuata parilitas, nec malitiæ Judæorum, nec diligentiæ, vel prudentiæ ſeptuaginta interpretum, ſed ſcriptoris tribuatur errori; qui de bibliotheca ſupradicti Regis codicem deſcribendum primus accepit.*

XII. Ad hæc parumper divertere placuit, ut Tyronem meum de hac re aliquali notitia inſtructum reddam; ut de diverſitate in annis Patriarcharum ante diluvium inter textum Hebraicum, ac Vulgatam noſtram, & inter Verſionem lxx. interrogatus reſpondere poſſit: non in noſtra Vulgata mendum eſſe, quæ textui Hebraico conſonat, ſed in Græca potius Verſione; ac proinde firmum eſſe argumentum, quo oſtendebamus, quod ſi anni Patriarcharum non eſſent pares noſtris annis, ſed menſtrui, ita ut decem illorum unum ſolum ex noſtris conficerent, ſequeretur, quod in puerili ætate filios generaſſent.

XIII. Hoc iterum confirmo auctoritate S. Auguſt. *lib. 15. de Civit. Dei cap.* 12. dicentis: *Poteramus certe hanc aſſeverationem* (de annis menſtruis) *ex Hebræis Codicibus redarguere, atque convincere; ubi Adam non ducentorum triginta, ſed centum triginta annorum fuiſſe reperitur, quando tertium genuit filium: qui anni, ſi tredecim noſtri ſunt, procul dubio primum genuit, quando undecim, vel non multo amplius annorum fuit. Quis poteſt hac ætate generare uſitata iſta, nobiſque notiſſima lege naturæ. Sed hunc omittamus, qui fortaſſe etiam, quando creatus eſt, potuit. Non enim eum tam parvum quam infantes noſtri ſunt, factum fuiſſe credibile eſt. Sed filius ejus non ducentorum quinque, ſicut nos legimus, ſed centum quinque fuit, quando genuit Enos; ac per hoc ſecundum illos, nondum habebat undecim annos ætatis. Quid dicam de Cainan ejus filio, qui cum apud nos centum ſeptuaginta reperiatur, apud Hebræos ſeptuaginta legitur fuiſſe, quando genuit Malaleel? Quis generat homo ſeptennis: ſi tunc anni ſeptuaginta nuncupabantur, qui ſeptem fuerunt?*

XIV. Probo ſecundo. Anni, quos intellexit Moyſes, erant anni habentes menſem ſecundum; ergo non erant menſtrui. Erant habentes menſem ſeptimum decimum: unus eorum habebat ante diem decimam ſeptimam ſeptimi menſis centum quinquaginta dies; ergo non erant anni bimeſtres, aut quadrimeſtres, quemadmodum dicuntur apud Ægyptios in uſu fuiſſe, ſed anni pares noſtris duodecim conſtantes menſibus. Ant. quoad ſingulas partes probatur ex diluvii narratione. Pro prima quidem dicuntur Gen. 7. v. 11. Aquæ diluvii terram inundaviſſe dicuntur *anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis*. Pro ſecunda prob. Geneſ. 8. verſ. 3. dicitur, quod cum aquæ obtinuiſſent terram centum quinquaginta diebus, *cœperunt minui poſt centum quinquaginta dies*, ſtatimque ſequitur v. 4. *Requievitque Arca menſe ſeptimo, vigeſimo ſeptimo die menſis, ſuper montes Armeniæ.* Tertia vero pars apparet ex iis, quæ ſequuntur v. 5. *At vero aquæ ibant, & decreſcebant uſque ad decimum menſem: decimo enim menſe, prima die menſis, apparuerunt cacumina montium.* Et ut hæc omnia uno, eodemque anno ſexcenteſimo vitæ contigiſſe appareat, cum dixiſſet, anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die diluvium cœpiſſe, annum, quo imminutæ ſunt aquæ, vocat ſexcenteſimum primum v. 13. *Igitur ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, prima die menſis, imminutæ ſunt aquæ ſuper terram.* Et v. 14. *Menſe ſecundo, ſeptimo, & vigeſimo die menſis, areſacta eſt terra.* Habemus ergo in uno anno menſem ſecundum, ſeptimum, decimum & primum, ac ſecundum anni ſequentis. Et ne quis putaret, menſes tunc non fuiſſe ſicut noſtros, in uno menſe nominat decimum ſeptimum, immo & vigeſimum ſeptimum diem. Ne quis autem exiſtimaret, ſolis adhuc decem menſibus conſtitiſſe annum, apud Zachariam *c. 1. v. 7.* inveniet undecimum menſem, duodecimum vero apud Heſter *c. 3. v. 13. cap. 9. v. 1. c. 13. v. 9. & c. 16. v. 20.*

XV. His itaque ſtatutis, cum nequiverit hactenus inveniri origo, ubi anni cœperint numerari per plures menſes, quam fuerint numerati ab initio, nec Moyſes hoc indicaverit, immo eodem modo ſemper locutus ſit; dicendum eſt, annos tempore diluvii non fuiſſe majores, ſed pares annis, quibus ab initio mundi vita Patriarcharum deſcribitur: & ita ſemper in populo Iſraelitico continuaſſe, conſtantes nimirum duodecim menſibus, menſes autem habuiſſe dies tum viginti novem, tum triginta.

XVI. Hoc argumentum urget Sanctus Auguſtinus *lib. 15. de Civitat. Dei capit.* 14. quem præſtat audire. *Sexcenteſimo* (inquit) *anno vitæ Noe, ſcriptum eſt, factum eſſe diluvium. Cur ergo ibi legitur:* & aqua diluvii facta eſt ſuper terram ſexcenteſimo anno in vita Noe, ſecundi menſis ſeptima, & viceſima menſis; *ſi annus illi minimus, quales decem faciunt unum noſtrum, triginta ſex dies habebat? Tantillus quippe annus, ſi antiquo more hoc nomen accepit, aut non habet menſes, aut menſis ejus eſt triduum, ut habeat duodecim menſes. Quomodo igitur hic dictum eſt*, ſexcenteſimo anno ſecundi menſis, ſeptima, & viceſima die menſis, *niſi quia tales, quales nunc ſunt, etiam tunc erant menſes? Nam quo pacto aliter viceſimo & ſeptimo die ſecundi menſis diceretur, cœptum eſſe diluvium? Deinde poſtea in fine diluvii ita legitur:* Et ſedit Arca in menſe ſeptimo, ſeptima & viceſima die menſis, ſuper montes Ararat. Aqua autem minuebatur uſque ad undecimum menſem: in undecimo autem menſe prima die menſis, apparuerunt capita montium. *Si igitur tales menſes erant, tales profecto & anni erant, quales nunc habemus. Menſes quippe illi triduani, viginti ſeptem dies habere non poterant. Aut ſi pars triceſima tridui tunc appellabatur dies, ut omnia proportione minuantur; ergo nec toto quatriduo noſtro factum eſt illud tam grande diluvium, quod memoratur factum quadraginta diebus, & noctibus. Quis hanc abſurditatem, & vanitatem ferat? Proinde removeatur hic error, qui conjectura falſa ita vult aſtruere Scripturarum noſtrarum fidem, ut alibi deſtruat. Prorſus tantus etiam tunc dies fuit, quantus & nunc eſt, quem viginti & quatuor horæ diurno curriculo, nocturnoque determinant: tantus menſis, quantus & nunc eſt, quem Luna cœpta, & finita concludit: tantus annus, quantus & nunc eſt, quem duodecim menſes lunares, additis propter curſum ſolarem quinque diebus, & quadrante conſummant: quanti anni ſexcenteſimi vitæ Noe ſecundus erat menſis, ejuſque menſis viceſimus & ſeptimus dies, quando cœpit eſſe diluvium; in quo dies quadraginta continuatæ ingentes pluviæ memorantur, qui dies non binas, ac paulo amplius horas habebant, ſed vicenas, & quaternas die, noctuque tranſactas. Ac per hoc tam magnos annos vixerunt illi Antiqui uſque amplius, quam nongentos, quantos poſtea vixit Abraham centum ſeptuaginta quinque . . . & quantos etiam nunc vivunt homines ſeptuaginta, vel octoginta, vel non multo amplius, de quibus dictum eſt:* Et amplius ei labor, & dolor.

XVII. Probo tertio ex præfatis Auguſtini verbis ſequenti diſcurſu. Anni eorum, qui a Moyſe recenſentur ex Sem propagati poſt diluvium, non ſunt anni vel menſtrui, vel bimeſtres, vel trimeſtres, vel quadrimeſtres, ſed anni duodecim menſium pares noſtris; ergo ſimiliter tales ſunt anni eorum, qui a Moyſe recenſetur propagati ex Adam ante diluvium. Conſequentia videtur legitima; cum Moyſes eodem modo proſequatur recenſendos annos eorum, qui poſt diluvium, & eorum, qui ante vixerunt, nemo prudens, & ſapiens judicare poterit, eum de annis ejuſdem, & æqualis menſuræ non ſemper fuiſſe locutum. Præterea ſi poſt diluvium, anni qui fuerant antea breviores, cœpiſſent eſſe longiores, hujus variationis originem, vel ſaltem indicium aliquod relinquere debuiſſet Moyſes: malus enim hiſtoricus fuiſſet, ſi hanc æquivocationem a ſua hiſtoria non ſuſtuliſſet. Addo, quod Jacob qui *Gen. 47. v. 9.* ad Regem Pharaonem dixit, ſe quamvis haberet ætatis centum triginta annos, non perveniſſe tamen ad ætatem Patrum ſuorum, falſum dixiſſet, ſi anni ætatis ſuæ eſſent pares noſtris, anni vero Patrum ſuorum fuiſſent menſtrui: etenim integros triginta tres annos ſuperaſſet ipſum Mathuſalem, qui tamen, præ omnibus Patriarchis, longiſſimam vitam traxiſſe legitur.

Antec. vero probatur. Si anni, quos vixiſſe referuntur progeniti ex Sem poſt diluvium, fuiſſent vel menſtrui, vel triginta ſex dierum, ſequitur, breviſſimam fuiſſe ætatem eorum ſaltem, qui poſt Heber nati ſunt. Etenim Phaleg, qui ducentos triginta novem vixiſſe legitur non amplius, quam viginti quatuor annos implevιſſet: Reu, qui ducentos triginta novem, Sarug, qui ducentos, & triginta, fere totidem: Nachor, qui centum quadraginta & octo vixit, ſolos quindecim attigiſſet: Thare, qui ducentos & quinque, ſolos viginti, & paulo amplius: Abraham tandem, qui centum ſeptuaginta quinque annos traxit, & qui Gen. v. 8. *Deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, provectæque ætatis, & plenus dierum*, ſolos annos ſeptemdecim vitæ conſummaſſet. Addo, quod cum, ut ſuperius dixi, plures eorum generare cœperint ætate paulo ſupra, immo aliquis etiam paulo infra trigeſimum; anno ætatis infantilis tertio generare cœpiſſent. Quo quid abſurdius?

Bene igitur ait Rupertus leg. 4. in Gen. c. 12. *Audiendi non ſunt, qui breves annos, verbi gratia menſtruos, vel quaternorum menſium in illa ætate computari volunt; quia videlicet contra Legem in Lege Moyſes annos non ſupputavit, ſed qualis ipſe obſervandos Feſtis, vel Sacrificiis, cæteriſque Sacris Ritibus agit, tales & numeravit, ſcilicet annos ſecundum Lunam, communes quidem duodecim menſium, Emboliſmares vero tredecim menſium.*

§. III.

Antediluvianorum longævitas non incredibilis.

XVIII. Non eſſe incredibile, primos illos humani generis propagatores vitam adeo longævam protraxiſſe, oſtendit Euſebius *lib. 9. Præparat. Evang. cap. 13.* partim quia Deo chariores, partim quia cibis melioribus utebantur, partim quia aſtrologicis ſtudiis deditis, longior ætas debebatur; ut accuratiorem, ac certiorem per experientiam cognitionem acquirerent. Quod Scriptorum quoque Gentilium, a Ioſepho laudatorum, teſtimonio comprobat, dicens: *Præterea quod hominum qui principes nati ſunt, diuturni ævi fuiſſe, Moſes aſſeverat, ejus quoque rei teſtes Gentilium Scriptores a Joſepho laudantur his verbis:* Nemo, *inquit*, priſcorum hominum vitam „ cum noſtræ, annorumque noſtrorum brevitate componens, „ quæ de ipſis memorantur, falſa eſſe putet: dum ex longe „ brevioribus vitæ noſtræ ſpatiis, ne Veteres quidem illos „ tantum vivendo temporum conficere potuiſſe conjiciet. „ Nam illi ſane partim quod Deo chariores, ipſaque illius „ manu facti eſſent, partim quod cibis vim ſuam diutius, integritatemque retinentibus uterentur, vitam in tot annos „ propagare commode poterant. Adde, verum etiam fuiſſe, „ ut partim in virtutis ſuæ præmium, partim ad accuratiorem, ac certiorem, cum Aſtrologiæ, tum Geometriæ, quas „ ipſi artes invenerant, uſum, & experientiam, longiorem „ eis Deus vitam indulgeret, quippe qui niſi ſexcentos minimum annos, quot videlicet magnus Annus abſolvitur, „ vivendo complevíſſent, certi nihil unquam iis de rebus Poſteris tradidiſſent. Cujus equidem rei teſtes habet quotquot „ Græcos inter Barbaroſque rerum antiquarum monimenta reliquere. Nam & Manethus, qui Ægyptiorum, & Beroſus, „ qui Chaldaicam ſcripſit hiſtoriam, & Molus, & Hæſtius, „ & Hieronymus Ægyptius, quique res Phœnicum proſecuti ſunt, uno mihi omnes ore ſuffragantur. Immo etiam „ Heſiodus, Hecathæus, Hellanicus, Acuſilaus, Ephorus „ item, & Nicolaus, Veteres mille annos vixiſſe tradunt. —— Dicit hæc Joſephus *lib. 1. Antiquitat. cap. 4.* „ circa finem.

XIX. Tantam Veterum ante diluvium longævitatem non eſſe incredibilem probat S. Auguſt. *lib. 15. de Civit. Dei cap.* 9. Et quia Sacra Scriptura narrat, cujus prænunciata, ſicut comperimus ex eventu vera eſſe; ita vera eſſe credenda ſunt, quæ narrat tranſacta, eſto ea apud nos non experiamur. Quemadmodum enim credimus Hiſtoricis narrantibus, quæ aliis in locis contingunt, licet apud nos non contingant; pari ratione credere debemus ea, quæ aliis temporibus evenerunt, eſto non eveniant noſtris. *Antiquorum* (inquit Auguſtinus) *magnitudines corporum inventa plerumque oſſa, quoniam diuturna ſunt, etiam multo poſterioribus ſæculis produnt. Annorum autem numeroſitas cujuſque hominis, qui temporibus illis fuit, nullis nunc talibus documentis venire in experimentum poteſt. Nec tamen ideo fides ſacræ huic hiſtoriæ deroganda eſt cujus tanto impudentius narrata non credimus, quanto impleri certius prænunciata conſpicimus. Dicit tamen etiam idem Plinius* (lib. 7. cap. 48.) *eſſe adhuc gentem, ubi ducentos annos vivitur. Si ergo humanarum vitarum diuturnitates, quas experti non ſumus, hodie habere creduntur incognita nobis loca, cur non habuiſſe credantur & tempora? An vero eſt credibile, alicubi eſſe, quod hic non eſt, & incredibile eſt, aliquando fuiſſe, quod nunc non eſt?* Ita de more acute S. Auguſtinus.

XX. Sed objicies primo. Ut ſuperius vidimus, varius fuit apud varias Gentes annum computandi uſus, & ritus. Apud aliquas enim annus habebat unum menſem, vel triginta ſex dies, vel quatuor menſes, ut apud Ægyptios; cur annos Veterum tales fuiſſe non arbitramur, ſed volumus eſſe pares noſtris duodecim menſibus conſtantes?

XXI. Reſp. pluribus de cauſis accipiendos eſſe annos pro annis communibus ex duodecim menſibus conſtantibus. Primo ex

ex qualitate Scriptoris, nempe Moyſis, qui cum eſſet, non Ægyptius, ſed Judæus, numeravit annos ſecundum Legem, & ſuæ gentis ritum, ut dicebamus ex Ruperto: hi autem erant anni lunares duodecim menſium. Secundo propter abſurda, quæ oſtendimus ſecutura, ſi annos menſtruos ſumeremus: nempe quod homines in ætate puerili, immo infantili, genuiſſent filios, & alia inconvenientia, quæ attulimus. Tertio, & fortius, quia in illis annis, ut in anno, quo contigit diluvium, aſſignantur menſis ſecundus, ſeptimus, & decimus; immo in quolibet menſe aſſignatur decima ſeptima, & vigeſima ſeptima dies. Quibus aperte conſtat, fuiſſe annos, ac menſes pares noſtris. Videantur dicta ſuperius.

XXII. Objicies ſecundo. Incredibile eſt, homines non habentes continentiæ propoſitum, ſe in matrimonio cælibes ſervaſſe ad illam uſque ætatem, qua Scriptura Sacra refert, illos liberis primo operam dediſſe, nimirum, quod Seth genuerit Enos primogenitum ſolum anno centeſimo quinto vitæ ſuæ: quod Enos jam nonagenarius, & non prius genuerit Cainan; & Mathuſalem annorum centum octoginta ſeptem genuerit Lamech; & Noe anno ætatis ſuæ quingenteſimo genuerit Sem, Cham, & Japhet. Annos igitur Patriarcharum longe minores noſtris credibile eſt. Ita ſibi objicit S. Auguſtinus *lib. 15. de Civ. Dei cap. 15.*

XXIII. Cui objectioni duplici reſponſione occurrit: *Hæc quæſtio* (inquit) *duobus modis ſolvitur*. Prima eſt, illos primorum ſæculorum homines ex proportione longæviſſimæ ætatis longe ſerius annos pubertatis attigiſſe. *Aut enim tanto ſerior fuit proportione pubertas, quanto vitæ totius major annoſitas*. Secunda longe probabilior eſt Genealogiam, quam ibi texit Moyſes, non complecti omnes genitos, nec eos quoque, qui primo geniti ſunt, ſed eos tantum, per quos generationum ſeries ad Noe uſque perduceretur, & exinde ad Abraham, ex cujus ſtirpe futurus erat Chriſtus. Unde ex quo Seth ſolum anno centeſimo quinto vitæ ſuæ referatur genuiſſe Enos, non ſequitur, Enos fuiſſe ſimpliciter primogenitum; ita nullum ante genuerit, nec ante generationi operam dederit, ſed ſed primum, ex quo genealogia ad Moyſis intentum propaganda erat. *Aut* (pergit S. Auguſtinus) *quod magis video eſſe credibile, non hic primo geniti filii commemorati ſunt, ſed quos ſucceſſionis ordo poſcebat, ut perveniretur ad Noe, a quo rurſus ad Abraham videmus eſſe perventum*. Deinde oſtendens, quod eſto ex Adam ſoli Cain, Abel, & Seth geniti referantur; non proinde affirmari poteſt, etiam ante Cain, & Abel alios non genuiſſe, ſicut neque de Seth alios non genuiſſe antequam gigneret Enos; quandoquidem de ipſo legitur Gen. 5. v. 7. quod *genuit filios, & filias*, concludit: *Ac per hoc non apparet, omnium, utrum qui nominatur genitus, ipſe fuerit primogenitus: immo vero quoniam credibile non eſt, Patres illos ætate tam longa, aut impuberes fuiſſe, aut conjugibus caruiſſe, vel fœtibus; nec illos eorum filios primos eis natos fuiſſe credibile eſt. Sed cum ſacra Scriptor hiſtoria ad ortum, vitamque Noe, cujus tempore diluvium factum eſt, per ſucceſſiones generationum notatis temporibus intenderet pervenire; eas utique commemoravit, non quæ primæ ſuis Parentibus fuerint, ſed quæ in propagationis ordinem venerint.*

XXIV. Hoc exponit exemplo S. Matthæi, qui in Genealogia Chriſti Abraham texenda, non primo genitos, ſed eos tantum, qui ad ordinem ſuſceptæ generationis pertinent, recenſuit: *Evangeliſta* (inquit) *Matthæus generationem Dominicæ carnis per ſeriem Parentum volens commendare memoriæ, ordiens a Patre Abraham, atque ad David primitus ut perveniret, intendens*, Abraham, *inquit*, genuit Iſaac. *Cur non dixit Iſmael, quem primitus genuit?* Iſaac autem, *inquit*, genuit Jacob. *Cur non dixit Eſau, qui ejus primogenitus fuit? Quis ſcilicet per illos ad David pervenire non poſſet. Deinde ſequitur*: Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus. *Numquid Judas primogenitus fuit?* Judas, *inquit*, genuit Phares, & Zaram. *Nec iſtorum geminorum aliquis fuit primogenitus Judæ, ſed ante illos jam tres genuerat. Eos itaque texuit in ordinem generationum, per quos ad David, atque inde, quo intenderat, perveniret. Ex quo intelligi poteſt, Veteres quoque homines ante diluvium non primogenitos, ſed eos fuiſſe commemoratos, per quos ſuccedentium ordo generationum ad Noe Patriarcham duceretur, ne ſeræ pubertatis illorum obſcura, & non neceſſaria quæſtio nos fatiget*. Hactenus Auguſtinus, quo nemo acutius, nemo melius.

XXV. Quæres: quæ fuerint cauſæ longævitatis in veteribus Antediluvianis hominibus?

Hanc Quæſtionem excitat Theodoretus *interrogat. 49. in Gen.* quærens: *Quare longo tempore vivebant Antiqui?* Cui reſpondet: *Ut longiore temporis ſpatio augeri numero poſſent. Nam propter hoc etiam plures uxores ducebant. Itaque etiam poſt diluvium, uſque ad tempora Patriarcharum, longævi erant. Poſteaquam autem terram repleverunt, diminutus eſt deinceps annorum numerus*. Sed hæc eſt cauſa finalis.

Porro cauſa efficiens erat præcipua divina Providentia ſic ſtatuens ad præfatum, ſeu alios ſibi notos fines, cui ſerviebant, optima corporum conſtitutio, cibi melioris ſerviebant, optima corporum conſtitutio, cibi melioris virtutis quam nunc, & ſimpliciores, ſobrieque ſumpti, ad indigentiam nempe, non ad luxum, & voluptatem. Quinam autem eſſent cibi, queis alebantur, ſtatim dicemus.

DUBIUM VI.

Quibus cibis Antediluviani homines uterentur, an ſolis terræ oleribus, arborumque fructibus, an vero etiam carnibus.

§. I.

Ratio, & ſtatus Quæſtionis.

I. HUic quæſtioni occaſionem præfert Moyſes, qui inducens Deum aſſignantem homini cibum, nullam mentionem facit carnium, ſed olerum, & fructuum tantum, niſi poſt diluvium. Geneſis enim 1. v. 19. ubi aſſignatur cibus hominibus, nempe Adamo, & Evæ vix formatis, ſic legitur: *Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam*. Rurſus Gen. 2. v. 16. & 17. ubi, data facultate Adamo omnibus cibis veſcendi uno reſervato, de ſolis arborum fructibus ſermo eſt. *Ex omni ligno Paradiſi comede. De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas*. Et c. 3. v. 17. 18. & 19. inter pœnas Adæ poſt peccatum inflictas dicitur: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane*. Ubi de carnibus, ſed ſemper de terræ oleribus comedendis.

II. Solum ergo poſt diluvium carnes in eſum conceſſæ hominibus leguntur Geneſ. 9. v. 3. & 4. *Et omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia. Excepto, quod carnem cum ſanguine non comedetis*. Ideſt tam libere poteſtis veſci carnibus animalium humanæ complexioni convenientibus, quam antea oleribus virentibus addendo ultra olera etiam carnes. Et hoc partim propter hominum infirmitatem ex peccato cauſatam, & proceſſu temporis auctam, cui conveniens erat, ut provideretur de cibo ſolidiore; & partim propter plantarum vim debilitatem, & terræ fœcunditatem diluvio imminutam.

III. Ex his & præfocatur error Manichæorum negantium licere occidere animalia in uſus hominum; ideoque referente S. Auguſt. *lib. de Hæreſ. cap. 46.* monebant auditores ſuos, ut ſi carnibus veſcerentur animalium, ea non ipſi occiderent. Et neque ferenda eſt impudentia Calvini, qui in hunc verſum Geneſis tyrannidem non ferendam, & atrocem Dei injuriam vocare audet, ſi præcepto humano carnibus veſci prohibeamur; quod Deus hic licere voluit, & omnibus ſine ulla limitatione conceſſit. Quaſi non Scriptura exemplis plena ſit, quibus aliquod prohibetur ab homine, quod Dei permiſſione ſpectata fuerat licitum. Vinum certe non prohibuerat Deus, & tamen ex præcepto Jonadab Rechabitæ religioſe a vino abſtinebant; ut habetur *Jerem. 35. v. 6.* Propter quod a Deo benedictionibus cumulantur *ibid. v. 19.* Dies ſortium non præceperat Deus; & tamen ex Statuto Mardochæi, & Heſter tamquam dies feſtos pie obſervare cæperunt Judæi. *Heſter 9. v. 31. & Act. 15. v. 28. & 29.* Ex Apoſtolorum Statuto jubentur Chriſtiani abſtinere a ſuffocato, & ſanguine, quos tamen divina lex amplius non obligabat. Sed de his alibi. Interim ſcite Clemens Alexand. l. 2. Pædagogi cap. 1. *Etſi maxime propter homines omnia facta ſunt, non tamen omnibus uti bonum eſt, ſed neque ſemper. Nam tempus, occaſio, modus, & reſpectus rei alicujus non parvum ei, qui inſtituitur, momentum afferant ad id, quod ſibi eſt utile.*

IV. Porro idcirco Deus ſtatim a diluvio hanc animalium carnibus veſcendi poteſtatem dedit, ut Idololatriam præveniret. *Summa quippe inſania eſt* (ait Theodoretus q. 55. in Geneſ.) *adorare, quod comedis, & comedendo ſcilicet conſumitur*. His igitur ad eruditionem præjactis, nunc videndum eſt, an ante diluvium eſus carnium fuerit hominibus permiſſus, & an in uſu, hocque indifferenter, & apud omnes.

V. Circa hoc varii ſunt Auctores, tum Veteres, tum Recentiores. Aliqui enim illicitum, & prohibitum volunt ante diluvium fuiſſe carnium uſum Alii non fuiſſe prohibitum, ſed inuſitatum. Alii fuiſſe conceſſum, & uſitatum apud omnes. Alii tandem quamvis non vetitum, fuiſſe tamen apud homines pios, & religioſos ante diluvium inſuetum carnium eſum.

§. II.

Eſus carnium jure naturæ quovis tempore licitus.

VI. DIco primo. Nullum cibi, aut alimenti genus fuit, aut eſt prohibitum homini jure naturali. Prob. primo. Quia omnia ſunt naturaliter inſtituta propter hominem, juxta illud Pſalm. 8. v. 8. & 9. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves, & boves univerſas; inſuper & pecora campi; Volucres Cæli, & piſces maris &c.* ſed iſta pro majori parte naturaliter in alimentum hominis ſunt; ergo &c. Quod confirmant verba illa Gen. 1. v. 28. *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram*: ſed dominium eſt jus utendi re ſua ad quoslibet uſus; ergo ſaltem jure naturali homo uti poteſt animantibus idoneis in ſui alimentum.

VII. Secundo. Quod jure naturali prohibitum eſt, ratione naturali cognoſci poteſt: ſed nulla ratione naturali cognoſci poteſt, aliquod alimentum eſſe prohibitum: quia cum non ſit major ratio de uno, quam de alio, ſi unum eſſet naturaliter prohibitum; ergo & omnia.

VIII. Tertio. Ut docet D. Thom. 1. p. q. 96. art. 1. *Omnia animalia ſunt homini naturaliter ſubjecta*. Quod probat *primo ex ipſo naturæ proceſſu. Sicut enim in generatione rerum*

intel-

intelligitur quidam ordo, quo proceditur de imperfecto ad perfectum . . . ita etiam eſt in uſu rerum naturalium; nam imperfectiora cedunt in uſum perfectiorum. Plantæ enim utuntur terra ad ſui nutrimentum, animalia vero plantis, & homines plantis, & animalibus. Unde naturaliter homo dominatur animalibus. Et propter hoc Philoſophus dicit in 1. Polit. c. 5. quod venatio ſylveſtrium animalium eſt juſta, & naturalis; quia per eam homo vendicat ſibi, quod eſt naturaliter ſuum. Et apertius 2. 2. q. 64. art. 1. *Nullus* (inquit) *peccat ex hoc, quod utitur re aliqua ad hoc, ad quod eſt. In rerum autem ordine imperfectiora ſunt propter perfectiora . . . omnia autem animalia ſunt propter hominem. Et ideo ſi homo utatur plantis ad utilitatem animalium, & animalibus ad utilitatem hominum, non eſt illicitum . . . Inter alios autem uſus maxime neceſſarius eſſe videtur, ut animalia plantis utantur in cibum, & homines animalibus, quod ſine mortificatione eorum fieri non poteſt. Et ideo licitum eſt plantas mortificare in uſum animalium, & animalia in uſum hominum.*

IX. Quarto. Ideo jure naturæ eſſet vetitus eſus carnium, quia iſtæ natura ſua eſſent immundæ, ut aſſerebant Manichæi: ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Min. prob. Tum ex Paulo 1. *Tim. 4. v. 23.* ubi damnat eos, nempe Manichæos, qui prohibituri erant uſum ciborum, *quos Deus creavit ad percipiendum*. Et rationem reddens v. 4. *Quia* (inquit) *omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*. Quare etſi in Veteri lege carnes aliæ vocarentur mundæ, aliæ immundæ, & ideo prohibitæ jure naturæ. Sic enim (inquit D. Th. 1. 2. q. 102. a. 6. ad 1.) *Nulla genera ciborum immunda ſunt, vel hominem inquinare poſſunt ſecundum ſuam naturam*. Sed dicebantur immunda aliqua ciborum, maxime carnium genera, immunditia corporali ob cauſas, quas ibi S. Thomas enumerat: & ideo lege poſitiva, ac cæremoniali Veteri Teſtamento prohibebantur a Deo. Quibus cauſis ceſſantibus, ſuapte natura omnia munda ſunt.

X. Hinc S. Auguſtinus *l. 6. cont. Fauſt. c. 7.* ait: *Teſtimonio autem veteri cur non ſit contraria iſta ſententia, qua dicit Apoſtolus*: omnia munda mundis, & omnis creatura Dei bona eſt, *ſi poſſunt, intelligant, hoc Apoſtolum de ipſis dixiſſe naturis; illas autem litteras, propter quaſdam præfigurationes tempori congruentes, animalia quædam, non natura ſed ſignificatione immunda dixiſſe. Itaque, verbi gratia, ſi de porco, & agno requiratur, utrumque natura mundum eſt, quia omnis creatura Dei bona eſt; quadam vero ſignificatione agnus mundus, porcus immundus eſt, tamquam ſi ſtultum, & ſapientem diceres, utrumque hoc verbum natura vocis, & litterarum, & ſyllabarum, quibus conſtat, utique mundum eſt; ſignificatione autem unum horum verbum, quod dicitur* ſtultus, *immundum dici poteſt non natura ſui, ſed quoniam quiddam immundum ſignificat &c.* Conſtat ergo, nec carnes, nec quemcumque alium cibum ex natura rei eſſe immundum, nec jure naturæ aliquando fuiſſe homini prohibitum. Dubium reſtringitur, an ſicut lege poſitiva divina quidam cibi prohibiti erant in lege Moſaica: ita ante diluvium prohibitus a Deo fuiſſet omnium carnium eſus.

§. III.

An carnium Eſus vetitus eſſet ante diluvium, Jure Poſitivo.

XI. DIco ſecundo. Quamvis ex Scriptura eſus carnium ante diluvium non legatur expreſſe vetitus, non eſt tamen improbabile, quod implicite ſaltem vetitus fuerit. Prima pars videtur conſtare: etenim nullibi in Geneſi legitur expreſſe vetita alia comeſtio, quam de ligno ſcientiæ boni, & mali Gen. 2. v. 16. & 17. *Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradiſi comede: De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas*. Quod ſi carnium eſum expreſſe Deus prohibuiſſet, expreſſis verbis id declaraſſet.

Altera autem pars ſuadetur primo *Gen. 1. v. 27.* ubi aſſignatur cibus homini, & animantibus de univerſis, & ſolis herbis, & earum ſeminibus, de univerſis, & ſolis arboribus, earumque fructibus ſermo eſt. Videtur ergo fuiſſe conceſſio hæc taxativa, & limitativa ad ſola olera, & arborum fructus, & proinde horum conceſſio, & non aliorum. Quare dicit Abulenſis: Hic taxavit Deus cibos hominibus, ut ſcilicet carnes non comederent, ſed fructibus veſcerentur.

Si dicas, quod ſi Deus carnes prohibere intendiſſet, prohibitionem indicaſſet —— Ego ſimiliter repetam: ſi Deus carnium eſum concedere intendiſſet, hanc conceſſionem expreſſiſſet, & non ad ſola olera, & fructus conceſſionem reſtrinxiſſet. Si enim ex eo, quod carnes non ſint prohibitæ, inferre volunt, quod fuerint conceſſæ: pari ratione ex eo, quod non ſint conceſſæ, inferam ego, quod ſint prohibitæ. Quia etſi aliquando illa intelliguntur conceſſa, quæ expreſſe non inveniuntur prohibita; nonnumquam tamen intelligitur prohibitum, quod non invenitur conceſſum ut *Tit. 7. de transl. c. 2.* Et hoc maxime, quando expreſſio eſt pœnalis. Cum ergo Adæ poſt peccatum indixerit inter cæteras pœnas Gen. 3. v. 18. *& comedes herbam terræ*; videtur, cibum illius ad ſola ea, quæ ſunt fructus terræ, coarctaſſe.

XII. Confirmatur. Quia *Gen. 9. v. 3.* Ubi Deus Noe, & aliis hominibus eſum carnium concedit, ita legitur: *Et omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia*. Cur ergo hic carnes expreſſe conceduntur, ſi jam eas conceſſerat? Nec dicatur, hanc eſſe expreſſiorem repetitionem conceſſionis tacitæ ſuperius factæ. Nam ſi ita eſt: cur de ſolis carnibus, non de oleribus mentionem facit, dicendo omnia olera, & omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum? At dum dicit: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia, quid aliud dicere voluit, niſi, ubi prius ſolis oleribus utendi in cibum tradidi vobis poteſtatem, nunc omnium, quæ vivunt, ut antea olerum, copiam vrbis plene facio.

XIII. Urgetur ex eo, quod additur ſtatim v. 4. *Excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis*. Ex quibus ſic. Si antea homines comedebant carnes: vel eas comedebant cum ſanguine, vel ſine ſanguine. Si comedebant non cum ſanguine, non erat opus hoc novo præcepto. Si vero comedebant cum ſanguine, cur non redditur ratio. quare Deus antea permiſerat, & tunc de novo prohibebat? Videtur ergo, quod tunc dedit primo facultatem comedendi: & ideo hominibus modum naturalem comedendi præſcripſit.

XIV. Nec dicas. Deus cum primo deſignavit olera, & fructus in cibum non reſpexit ſolos homines, ſed & cætera animantia *Gen. 1. v. 19. & 30.* Si ergo hac deſignatione homini legem ſtatuit vetantem eſum carnium, hanc etiam omnibus animalibus ſtatuit, ipſis quoque leonibus, lupis, corvis, canibus &c. quibus naturale eſt carnibus paſci, non oleribus. Quis autem dicat præfata animalia ante diluvium non fuiſſe carnivora, ſed oleribus, & arborum fructibus alita fuiſſe? Nequaquam, ait S. Thomas 1. p. q. 96. a. 1. ad 2. *Non enim per peccatum hominis natura animalium eſt mutata; ut quibus nunc naturale eſt comedere aliorum animalium carnes, tunc vixiſſent de herbis ſicut leones, & falcones; ergo &c.*

XV. Reſp. hanc inſtantiam urgere, etſi non adſit præceptum. Nam etſi non præceperit omnibus tamen aſſignavit, & homini, & cunctis animantibus terræ, volucribus Cæli, univerſis, quæ moventur, & in quibus eſt anima vivens, olera, herbas, ſemina, fructus arborum: ergone eas aſſignavit quoque leonibus, lupis, corvis, falconibus? Dicendum ergo eſt; quod Deus aſſignavit, ſeu etiam præcepit herbas, olera, fructus arborum in cibum omnibus animantibus, ſumpto ly *omnibus* cum diſtributione incompleta, ſeu accommodata; nempe omnibus, quorum naturis tales cibi conſentanei ſunt bobus ſcilicet, equis, ovibus, non leonibus, lupis, & ſimilibus, quibus naturale eſt comedere aliorum animalium carnes: homini vero, qui naturaliter omnibus, & herbis, & carnibus paſcitur, ſolas tunc, cum robuſtior eſſet, & herbæ, ac plantæ majoris virtutis eſſent, herbas terræ, & arborum fructus conceſſit: carnes poſtea etiam conceſſurus, quando homo factus infirmior egeret fortiori alimento, & herbæ ſuæ virtutis multum deperdidiſſent, quod contigit poſt diluvium. Ita non improbabiliter. At quidquid ſit de præcepto, aut prohibitione.

§. IV.

An Eſus carnium eſſet ante diluvium inſuetus?

XVI. DIco tertio. Probabilius cenſeo, ante diluvium eſum carnium, apud ſaltem viros Religioſos ac pios, inſuetum fuiſse. Ita ſentiunt plerique Patrum. Ex quo enim expreſsa conceſſio carnium in eſcam legitur facta ſolum poſt diluvium, cum antea ſola olera, ac fructus Deus expreſſiſset, exiſtimarunt, homines religioſos, ac pios his cibis contentos vixiſse; neque ad ulteriores, nempe carnes, manum, & os appoſuiſse. Ita ſentire viſus eſt Tertullianus *l. de Anima c. 38. & adverſus Pſychicos c. 4. & 5.*

XVII. Aperte autem hoc teſtatur S. Jo. Chryſ. *hom. 27. in Gen.* ubi expendens illa verba *Gen. 9. v. 3.* Omne, quod movetur, & vivit, erit verbis in cibum. *Hinc* (inquit) *initium ductum eſt edendarum carnium; non ut ipſas ad ventris ingluviem paret, & inſtruat: ſed quia ex ipſis homines erant ſacrificaturi, & Deo gratias acturi, ut ne viderentur quaſi a conſecratis abſtinere. Idcirco edendi facultatem concedit, & multam dat utendi licentiam*. Quaſi olera herbarum vobis dedi omnia.

XVIII. Apertius S. Hieronymus *l. 1. adverſus Jovinianum* huic hæretico objicienti: *In ſecunda Dei benedictione, comedendarum carnium licentiam datam, quæ in prima conceſſa non fuerat*, ſic reſpondet: *Sciat, quomodo remedium juxta eloquium Salvatoris ab initio non dabatur; ſed propter duritiam cordis noſtri per Moyſen humano generi conceſſum eſt: ſic & eſum carnium uſque ad diluvium ignotum fuiſſe. Poſt diluvium vero, quaſi in eremo murmuranti populo coturnices: ita dentibus noſtris nervos, & virulentias carnis ingeſtas*. Et paulo poſt: *Ab exordio conditionis humanæ, nec carnibus veſcebamur, nec dabamus repudium, nec præputia nobis improbabantur in ſignum. Hoc curſu uſque ad diluvium pervenimus. Poſt diluvium autem cum datione Legis, quam implere nullus potuit, carnes ingeſtæ ſunt ad veſcendum, & repudia conceſſa duritiæ, & cultellus circumciſionis appoſitus.*

Libro autem ſecundo adverſus eumdem poſt varia Philoſophorum, aliorumque Gentilium exempla, qui a carnibus abſtinuerunt, ait: Adam *quamdiu jejunavit, in Paradiſo fuit; comedit, & ejectus eſt; ejectus ſtatim duxit uxorem. Qui jejunus in Paradiſo virgo fuerat, ſatur in terra matrimonio copulatur; & tamen ejectus non protinus accepit licentiam carnium veſcendarum, ſed tantum poma arborum, & fruges ſegetum, & herbarum olera ei traduntur in cibum: ut extra quoque Paradiſi, non carnibus, quæ in Paradiſo non erant, ſed ſimilitudine frugum Paradiſi veſceretur.*

XIX. Idem ſentit Theodoretus *Interrog. 55. in Geneſ.* dicens: Deus *mox ubi creaſſet hominem dedit illi terræ fructus, jubens illum veſci fructu ſeminum, & arborum. Poſt diluvium autem majores illi delitias munifice largitur, jubens occidere, & comedere volatilia, & natantia, & terreſtria animalia, affectum affectu repellens, & leviori curans graviorem. Prævidens enim*

Deus

Deus, homines in extremam dementiam lapſos, hæc omnia pro Diis habituros, permiſit illorum eſum, ut impietatem illam cohiberet. Summa enim eſt inſania adorare, quod comeditur. Propterea vero animalia quædam immunda dixit, alia vero munda: ut illa quidem tamquam immunda exhorrentes, non deificent, hæc vero, quæ comeduntur non adorent.

XX. In hanc ſententiam propendit S. Th. 1. 2. *q.* 102. *a.* 6. *ad* 2. his verbis: *Eſus plantarum, & aliorum terræ naſcentium fuit apud homines etiam ante diluvium. Sed eſum carnium videtur eſſe poſt diluvium introductus. Dicitur enim Geneſ. 9.* Quaſi olera virentia dedi vobis omnem carnem. *Et hoc ideo, quia eſus terræ naſcentium magis pertinet ad quamdam ſimplicitatem vitæ: eſus autem carnium ad quaſdam delicias, & curioſitatem vivendi. Sponte enim terra herbam germinat, vel cum modico ſtudio hujuſmodi terræ naſcentia in magna copia procurantur: oportet autem cum magno ſtudio animalia nutrire, vel etiam capere. Et ideo volens Dominus populum ſuum reducere ad ſimpliciorem victum, multa in genere animalium eis prohibuit, non autem in genere terræ naſcentium. Vel etiam quia animalia immolabantur Idolis, non autem terræ naſcentia.* Hæc D. Th. Quibus rationem congruitatis aſſignat, nempe quia voluit Deus ab illis primis hominibus majorem vitæ ſimplicitatem, ac minorem in procurandis eduliis curam, & ſolicitudinem; cui maxime congruit ſolis terræ naſcentibus ad eſum uti, in quibus procurandis, ut ait S. Doct., minus ſtudium adhibetur.

XXI. His concinit etiam Boætius lib. 2. de Conſolatione metro 5.

Felix nimirum prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerat perdita luxu;
Facili quæ ſera ſolebat
Jejunia ſolvere glande;
Non Bacchica munera norat
Liquido confundere melle.

Ipſeque Ovidius *lib.* 1. *Metamorphoſ.* de prima ætate loquens, ait:

Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.

Lib. inſuper 15. *Metam.* idem repetens, ait:

At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus educat, herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore
Tunc & aves tutæ movere per aera pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in agris
Nec ſua credulitas piſcem ſuſpenderat hamo.

Hæc argumento ſunt, antiquum illum morem ſolis terræ naſcentibus veſci manſiſſe in hominum memoria, nec Poetam hæc ſibi finxiſſe, ſed ex antiquitate accepiſſe. Et quod magis eſt, Lutherus in *cap.* 9. *Gen.* Grotius, Joann. Clericus, aliique ex Proteſtantium grege (in dictum caput) quamvis pro eſu carnium quolibet tempore contra nos pugnare ſoliti, aſſerunt tamen, dominium in necandas beſtias in cibum ſolum poſt diluvium homini a Deo fuiſſe conceſſum.

XXII. Temperanda tamen hæc opinio videtur multis, & hæc eſt ſecunda noſtri aſſerti pars. Cum enim ante diluvium eſſent homines pii ac religioſi, quales multo tempore fuere filii Seth, eſſent etiam viri impii, quales erant ex ſemine Cain propagati; hique procedente tempore, numero, & malitia excreverint, ut junctis in matrimonium filiabus ſuis cum filiis Seth, iſtos malitia ſua a primigenia pietate, boniſque moribus averterint; ut corrupta vitiis omni carne, contempta omni lege, & quavis laudabili conſuetudine rejecta, ſumme offenſus Deus decreverit diluvio totum genus humanum mergere, ac delere, quod de facto præſtitit, ſolo Noe, ejuſque familia reſervatis; credibile eſt, abſtinentiam a carnibus ad ſolos paucos fuiſſe redactam, cum alii cujuſque generis intemperantiis, & carnis deliciis dediti, per fas, & nefas ei curandæ ſtuderent.

XXIII. Probo ergo, ſaltem apud viros pios & religioſos, antiquum morem ſolis terræ frugibus ac fructibus veſcendi, & ab eſu carnium abſtinendi uſque poſt diluvium manſiſſe. Vel enim Deus ſola terræ naſcentia Adæ ante & poſt lapſum concedens in cibum, ipſi, ejuſque poſteris ſaltem implicite, & tacite, vetuerat eſum carnium, ut multi volunt, vel ſaltem indicavit, ſe carnium eſum non concedere. Si enim carnium eſum ab initio conceſſit, fruſtra poſtea Noe conceſſiſſet; fruſtra enim denuo conceditur, aut permittitur, quod antea erat licitum, vel conceſſum, aut permiſſum: atqui viri religioſi ac pii ab eſu carnium certe abſtinuiſſent, ſi traditione accepiſſent, eas a Deo fuiſſe vetitas: & licet de præcepto eis non conſtaret, cum tamen ſcirent, eas a Deo non fuiſſe inter alios cibos expreſſas, prudenter exiſtimaſſent, voluntatem Dei fuiſſe, ut ſolis cibis ab ipſo præſcriptis, ac edulio frugali ad vitæ ſimplicitatem contenti eſſent. Et propterea credibile valde eſt, eos religioſe illis terminis ſeſe continuiſſe: eo vel maxime, quod Majores eorum ita ſe geſſiſſe accepiſſent.

XXIV. Confirmatur. Dato, quod carnes tunc temporis non eſſent expreſſe vetitæ, non tamen erant expreſſe conceſſæ; immo conceſſio divina ſolas herbas, ſemina, ac lignorum fructus homini, ac cæteris animalibus in cibum indulgebat; ergo viri probi jure cenſere poterant carnes non ſolum eis non fuiſſe conceſſas, ſed implicita quadam prohibitione vetitas, ac proinde ſibi eſſe ab eis abſtinendum.

Cum ergo, ut omnes fatentur, major vis nutriendi eſſet in herbis, & plantis ante diluvium, quam poſtea, terra Oceani ſuperabundantis ſalſedine infecta; cum etiam humanæ naturæ vigor multo validior eſſet, nec tanta reparatione per cibos egeret, unde vitam ad ætatem adeo longævam, ut præcedenre Dubio vidimus, protrahebant: abſque ulla dubitatione credimus, homines probos, ac Deum timentes, qui ad nutum divinæ declarationis vivere volebant, cum ſatis dignoſcerent, hujuſmodi cibos ad vitam optime ſuſtentandam ſufficere poſſe, omnino abſtinuiſſe a carnibus, & etiam piſcibus, eſto non tamquam ſpeciali prohibitione vetitis, tamquam tamen implicite interdictis, & rejectis tamquam ſuperfluis, & deliciis potius inſervientibus, quam neceſſitati.

Procedente vero tempore, humanaque paſſim creſcente licentia, atque intemperantia, non imus inficias, homines (paucis exceptis) carnibus etiam veſci voluiſſe. Quinimmo ex Beroſo tradit Cajetanus, uſque adeo increviſſe humanam ingluviem; ut homines omnem exuentes humanitatem, humanas quoque carnes comedere non formidarint. Quod credibile reddit ſimilis uſus barbararum quarumdam gentium novi Orbis. Quare cum Divus Thomas ſupra laudatus, ait: quod *eſus carnium videtur eſſe poſt diluvium introductus*, exponendus eſt, eum fuiſſe introductum paſſim, & communiter apud omnes ſtante aperta Dei declaratione, & conceſſione *Gen.* 9. *v.* 3. cum antea apud aliquos ſolum male moratos ex abuſu, & intemperantia eſſet introductus.

§. V.

Aſſeruntur, quæ præcedenti Reſolutioni videntur obſtare.

XXV. CAjetanus in *c.* 4. *Gen.* Sotus *de Juſt. & Jure l.* 5 *q.* 1. *a.* 1. Natalis Alexand. *hiſt. Veter. Teſt. diſſ.* 6. *prop. un.* & aliqui alii cenſent, ante diluvium homines non ſolum impios, ſed & juſtos carnium eſum frequentaſſe. Iſtorum ergo momenta proponenda ſunt, & pro viribus diſſolvenda.

XXVI. Primum eorum fundamentum ſumitur ex dominio, quod naturaliter habet homo in animalia cætera: ex quo D. Thomas 1. *p. q.* 9. *a.* 1. infert animalia naturaliter eſſe in uſum, & nutrimentum hominis; ergo ad dominium ejus pertinebat, ut eis, quæ comedi poterant, & quorum carnes erant humano corpori nutriendo aptæ, uti poſſent in cibum & mactando.

Reſp. hoc argumentum confirmare noſtram primam aſſertionem, nempe, quod ſpectato Jure naturæ poſſit homo tamquam dominus mactare animalia, eorum carnibus in alimentum uti, quia naturaliter ſunt inſtituta propter hominem: ſed non infirmare tertiam aſſertionem ſpectantem Jus poſitivum, & de facto. Sicut etiam non obſtante hoc dominio hominis ſuper omnia animalia, potuit Deus, & de facto tempore Legis ſcriptæ limitavit hoc dominium ad aliqua ſola, quæ vocavit munda horum eſum concedendo, aliorum vero, quæ vocavit immunda, eſum intercedendo; eadem ratione potuit Antediluvianis hominibus olerum, & omnium terræ naſcentium eſum concedere, & carnium quorumcumque animalium expreſſe, vel tacite ad tempus ſibi placitum reſervare.

XXVII. Sane hoc dominium ſuper univerſa animantia datum fuit homini ſtatim condito, & adhuc innocenti Gen. 1. v. 28. *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Statimque aſſignans homini cibum, non dixit: ecce dedi vobis univerſa hæc animantia in eſcam, eorum carnes in cibum; ſed v. 29. *Dixitque Deus: ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam.* Quod ſi ex hoc infert Soto *l.* 5. *de Juſtitia, & Jure q.* 6. *a.* 1. quod in ſtatu innocentiæ, quantovis ſæculo duraſſet, facillime creditu eſt, nullum futurum apud homines eſum carnium; cum tamen homines in eo ſtatu dominium perfectiſſimum habuiſſent ſuper animalia: cur non erit æque facile creditu; hanc abſtinentiam, poſt peccatum infirmato ſuper animalia dominio, nulla Dei extante conceſſione de carnium eſu, apud homines ſaltem pios, & religioſos perſeveraſſe? Dominabantur ergo animantibus dominio quaſi politico, ſicut domini ſervis, utendo opere, ſive ad terram exercendam, ſive ad onera portanda, ſive ad fructum ex eis percipiendum, puta lac; non tamen dominio terrifico manus in eorum vitam immittendo, eaque deſtruendo, ut ſuis carnibus cibos ſibi pararent. Hoc enim dominium terrificum ſolum legitur hominibus datum Gen. 9. v. 2. *Et terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ &c.* Deinde ſtatim ſubditur v. 3. *Et omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum.*

XXVIII. Non horreat pius Lector ſuper his audire Lutherum, cujus auctoritas, eſto in aliis ſit contemnenda, in hac tamen controverſia non infirmum, puto, exhibet argumentum. His ergo, qui primus contra abſtinentiam a carnibus vexillum explicuit; cum potuiſſet ſuæ voracitati non leve pondus adjicere, ſi probaſſet a Mundi exordio conceſſum fuiſſe eſum carnium ab ipſo Deo, & propterea omnibus licitum, quemadmodum ex verbis illis *creſcite, & multiplicamini &c.* infert omnibus licitum eſſe, immo & indictum Matrimonium: nihilominus in *c.* 9. *Gen.* citatum de eſu carnium ad illa verba: *Et error veſter, ac tremor*, ita loquitur.

In abundantiam conſolationis videtur hic dominium hominis augeri. Etſi enim poſt conditam creaturam omnia animalia homini ſubdita ſint; tamen non legimus, beſtias ſic timuiſſe hominem, ſicut hoc in loco Moſes teſtatur. Cauſa autem eſt, quod hactenus animalia non fuerunt morti deſtinata, ut eſſent cibus homini; ſed fuit homo tamquam civilis Dominus beſtiarum; non fuit occiſor, aut vorator. Hic autem ſubjiciuntur homini tam-

quam

quam Tyranno, qui habeat poteſtatem abſolutam mortis, & vitæ. Ideo quia nunc gravior ſervitus animalibus impoſita eſt, hominibus autem amplius, & gravius dominium tributum, animalia terrore motu hominum exercentur. Sicut videmus, quod etiam, quæ cicurata ſunt, tamen non facile ſe manibus apprehendi patiuntur. Sentiunt enim dominium hominum grave, & naturaliter periculo ſuo moventur. Id, quod ante hanc Domini vocem non factum eſſe exiſtimo, hactenus enim tantum ad operas ſuas animalibus aptis erant uſi, & ad oblectationes, non ad cibum, & alimoniam. Pertinet autem hæc quaſi augmentatio dominii etiam eo, ut Deus oſtendat ſingulari privilegio, quod Patriarchæ non habuerant, ſe favere homini, & bene velle.

Et poſt multa: *Actum ergo hoc in loco hominis dominium eſt, & animalia bruta homini ad ſervitutem ſunt ſubjecta uſque ad mortem. Ideo metuunt, & fugiunt hominem propter hanc novam, & hactenus in Mundo inuſitatam ordinationem. Nam Adæ abominatio fuiſſet occidere aviculam ad cibum. Sed nunc, cum accidit verbum, intelligimus, ſingulare hoc beneficium eſſe, quod hoc modo inſtruxit Deus culinam omni genere carnium. Poſt de cella quoque inſtruenda curabit, cum culturam vitis oſtendet homini.* Hæc Lutherus.

Quæ ante ipſum docuerat Rupertus *lib.* 4. *in Gen. cap.* 30. ubi poſtquam dixit, homini a principio ſolummodo dictum fuiſſe: Ecce dedi vobis omnem herbam virentem... & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, *erunt vobis in cibum* ſubjungit: *Porro hæc hominis poteſtas ſuper cuncta animalia nunc jure accrevit. Nam & tunc propter hominem condita, & nunc propter hominem reſervata, duplici ex cauſa hoc ipſum homini debent, quod ſunt. Igitur ſi ante hæc abſque ulla Dei præcipientis auctoritate hæc homo in cibum præſumpſit, jam ex hoc nunc ante legem, & deinde per legem poteſtate accepta, jure ſibi vindicat eadem in eſum; ut is potius contra Dei faciat imperium, qui prohibere tentaverit &c.* Hic ad Manichæos alludit Rupertus ex Paulo 1. *Timoth.* 4.

XXIX. Secundum fundamentum eſt. Antediluviani homines Sacrificia offerebant Deo. Abel Sacrificium obtulit; obtulit & Cain; & Poſteros obtuliſſe credendum eſt: & non Holocauſta dumtaxat, in quibus tota victima igne conſumebatur, ſed & Propitiatoria, & Pacifica, in quibus victimarum partem in uſum offerentium ceſſiſſe credere par eſt, ne viderentur quaſi a conſecratis abſtinere. —— Addunt: quid enim laudis promeritus fuiſſet Abel, quod optima, & pinguia gregis ſui Domino litaſſet; ſi ea Domino obtuliſſet, quorum pelles tantum, & lanam, non vero carnes in uſum proprium habere potuiſſet? —— præterea ſi animalia mactabant, ut ea Domino offerrent, cur non ut ex eorum carnibus veſcerentur, & ſaltem Deo oblatis?

XXX. Hoc fundamentum nutare videtur. Nam & in ſtatu innocentiæ homines Sacrificia Deo non ſolum de terræ frugibus, ſed & de animalibus, in teſtimonium ſupremi dominii obtuliſſent; & tamen Contrarii (& maxime Soto) credibile putant, homines in eo ſtatu ſolis terræ frugibus, & arborum fructibus contentos a carnium eſu prorſus temperaſſe; ergo ex uſu Sacrificiorum eſus carnium non colligitur.

Dico ergo, Sacrificium, quod obtulit Abel, fuiſſe verum, ac purum Holocauſtum; & proinde totam victimam igne conſumptam fuiſſe. Tum enim, ut docet S. Auguſt. *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 7. *lib.* 7. aliquo ſigno viſibili & adſpectabili oſtenderit Deus, ſibi placuiſſe Abelis Sacrificium, non autem Cain; & hoc Cain ipſe dignoverit, propter quod indignatus Abelem occidit, hoc ſignum, ait S. Hieronymus *qu. Hebraic. in Gen.* non aliud fuiſſe, quam inflammationem hoſtiæ Abel, & non Cain: *Unde* (inquit) *ſcire poterat Cain, quod fratris munera ſuſcepiſſet Deus, & ſua repudiaſſet: niſi illa interpretatio vera eſt, quam Teodotion poſuit*: Et inflammavit Dominus ſuper Abel, & ſuper Sacrificium ejus: ſuper Cain vero, & ſuper ſacrificium ejus non inflammavit: *Ignem autem ad Sacrificium devorandum ſolitum venire de Cœlo, & in dedicatione templi ſub Salomone legimus, & quando Elias in monte Carmelo conſtruxit Altare.* Cum ergo Abelis Sacrificium, utpote primum, fuerit norma & exemplar aliorum; videntes Poſteri, gratam fuiſſe Deo totius hoſtiæ incenſionem: credibile eſt, Adamo etiam magiſtro, ritum totam hoſtiam igne abſumendi in reliquis Sacrificiis ſervaſſe, nec fuiſſe uſum abſumendi in cibum Sacrificii partem: qui poſtea per legem, ſecundum varias Sacrificiorum ſpecies: (quæ tunc temporis non erant) Deo jubente introductus eſt. —— Dici quoque poteſt, quod dato: Antediluvianos homines aliquid de carnibus Deo immolatis religionis ergo deguſtaſſe; non inde infertur, ſaltem viros pios, ac religioſos in communem cibum aſſumpſiſſe.

Ad id, quod addunt, dico; multum laudis promeritum fuiſſe Abel, qui de agnis, & ovibus ſuæ curæ, & dominio concreditis, quarum lacte alebatur, pellibus, & lana utebatur ad tegumentum, etſi eas non mactaret ad comedendum, primogenita, eaque ſelectiora, opima nempe, & pinguia Deo litavit, & non ſibi, ut Cain reſervavit. Sicut multum promeretur apud Principem, qui ex armento ſelectiorem, ac ſibi chariorem equum, aut ex venatione pulcherrimum leonem ei in tributum offerret, quamvis iſtorum carnibus non utatur in cibum: & ſicut maximam laudem apud Deum ſibi comparavit Abraham, paratus filium ſuum Iſaac primogenitum Deo immolare.

XXXI. Verum ad id, quod tertio ſubjungunt, quis non videt, maximum diſcrimen eſſe inter mactationem pecorum ad ea immolanda Deo Domino vitæ, & mortis ſupremo, & ad ea convertenda in uſum hominum? Primum enim Jus naturæ dictat, & exigit, & fuiſſet quoque in ſtatu innocentiæ. Secundum a Dei taxatione homini cibos præſcribentis dependet. Porro cum Deus præſcribens homini cibos, olera quidem, & arborum fructus expreſſerit, carnium vero non niſi poſt diluvium meminerit; credibilius eſt, quod ſicut in ſtatu innocentiæ homines a carnibus abſtinuiſſent, ut Adverſarii concedunt: ita etiam poſt culpam homines, ſaltem pios, a communi carnium uſu temperaſſe, niſi forte velis, carnes Deo immolatas deguſtaſſe.

XXXII. Tertium fundamentum eſt. Adam, Eva, eorumque Poſteri animalim pellibus pro indumento uſi fuere, ſaltem uſque ad inventum lanificium, & artem textrinam; ergo ad hunc ſaltem finem animalia mactabant; ergo pecudibus mactatis, eorumque carnibus in cibum utebantur. Quis enim credet, quod carnes, quas Deus creavit ad percipiendum, feris, ac volucribus projicerent?

Confirmant. Fuit Abel paſtor ovium, alii Antediluviani greges aluerunt, & curarunt. Cur vero tanta ovium, aliarumque pecudum ad humani corporis ſuſtentationem congruentium cura, ſi nuſquam earum carnibus veſcerentur? An quia earum lacte paſcebantur? ſed cur lacte pecudum, quamvis a Deo non expreſſo veſci poterant, earum vero carnibus nequaquam?

XXXIII. Reſpondeo, vel negando conſeq. Non enim primi Adæ Poſteri mactabant pecudes, ut ex earum pellibus ſibi indumenta conficerent; ſed ex earum, quæ ſuo fato moriebantur, exuviis veſtiebantur. Vel conced. conſeq. Mactare enim homines etiam pii animalia, ut ex eorum pellibus induerentur, abſque ſcrupulo poterant, ſecus vero eas mactare ad comedendum. Nam ad primum Deus ipſe, qui *Gen.* 3. *ver.* 21. Adæ, & uxori ejus fecit *tunicas pelliceas, & induit eos*, utique ex animalibus occiſis, & excoriatis, hoc facto eis oſtendit modum, quo indui deberent; & proinde tacitam eis licentiam fecit, ut eas in hunc finem mactarent. Ad ſecundum vero nulla nec poſt lapſum licentia adhuc tacita colligi poteſt; quin herbarum comeſtio Adæ legitur repetita ibid. ver. 18. *& comedes herbam terræ.* Unde credendum eſt, viros pios carnes animalium, ex quorum pellibus veſtiebantur, non fuiſſe auſos in cibus ſumere, ſed vel ſubtus terram ſepeliiſſe, vel feris, avibuſque voranda reliquiſſe: eo modo, quo etiam nunc quorumdam animalium pelles ad uſus humanos aſſumimus, quorum tamen carnes, vel terræ mandamus, vel feris, avibuſque voranda relinquimus. Ex quo, Joſeph a Coſta *lib.* 1. *Hiſt. Ind. cap.* 21. refert, quoſdam Indorum populos, apud quos vaccarum, & bovum nimia eſt multitudo, contemptis eorum carnibus, ſolas pelles detractas in mercimonium curare, & ad alias partes tranſmittere.

XXXIV. Ad confirmat. concedo, Abelem, & Poſteros ex Seth prognatos, greges, & armenta curaſſe, quamvis forte non in tanta multitudine, quanta legitur poſt diluvium, maxime de Abraham, & Loth *Gen.* 3. *ver.* 5. Nego tamen, ea curaſſe (ſaltem viros pietatem colentes) ut ex eorum carnibus eſcam ſumerent; ſed ut ex eorum pellibus caperent indumenta, & eorum lacte veluti fructa veſcerentur. Cur autem lacte pecorum paſci ſibi licere, non vero carnibus, exiſtimarent, ratio eſt. Cum enim Deus ab initio *Gen.* 1. *ver.* 28. conceſſerit homini dominium ſuper omnia animalia, dominium autem ſaltem importet Jus utendi, ac fruendi re ſua; poterant conjicere ſibi collatum fuiſſe jus fruendi, & percipiendi ex animalibus fructus, puta ex armentis lac, ex gallinis ova &c. Quia vero concedendo dominium in animantia, non dixit: *ut ſint vobis in eſcam*, ſed potius hominibus cibum aſſignans, de ſolis terræ frugibus, & arborum fructibus mentionem fecit; Jure exiſtimare poterant, Deum ſibi reſervaſſe dominium vitæ, & mortis animalium, ejuſque conceſſiſſe dominium mere civile, & ſalva eorum ſubſtantia, quale habent domini in ſervos, non deſpoticum: & ideo contentos eorum fructibus, in animalium vitam manus non immiſiſſe.

XXXV. Quartum fundamentum eſt. Adam, ejuſque Nepotes utpote cognitione perfecti, optime noverant, quanto ſalubriores eſſent animalium carnes, quam olera, & fructus, maxime naturæ infirmæ; ergo non eſt credibile ab eis abſtinuiſſe.

Reſpondeo primo. Quod non obſtante hac cognitione, a carnibus abſtinuiſſent in ſtatu innocentiæ, ut Adverſarii non negant; eadem ratione potuerunt abſtinere poſt lapſum. Quia vero obſtare poteſt infirmitas contracta per peccatum,

XXXVI. Ideo reſp. ſecundo. Adam, & Nepotes ejus optime dignoviſſe carnium ſalubritatem, iis tamen uſos non fuiſſe; quia cum non audiſſent, eas ſibi in eſum conceſſas, religioſe judicabant, Dei voluntatem non eſſe, ut iis tamquam non neceſſariis, ſed ſuperfluis, abſtinerent. Quod experimento comprobabant ex longævitate vitæ, qua fruebantur. Si enim legimus, multos eremorum cultores ſolis oleribus, baccis, fructibuſque victitare ſolitos, ad eam ætatem vitam incolumes protraxiſſe, ad quam delicatioribus epulis nutriti non perveniunt; quanto magis id credendum eſt in primis illis ſæculis, quibus ante diluvium major erat in frugibus, fructibus, & radicibus nedum abundantia, ſed, & vigor, & ſalubritas? In hac victus ſimplicitate filios Adam ex Seth perduraſſe exiſtimo, quouſque paternæ pietatis hæreditatem ſervaverunt. Verum cum procedente tempore augeri cœpiſſet inter homines corruptio, maxime poſt commixtionem filiorem Seth cum filiabus Cain, ſentio, per fas, & nefas omnes indifferenter carnes in cibum uſurpaſſe; cum prius ſoli ex Cain prognati, Deum parum timentes, illis uterentur.

XXXVII. Quintum fundamentum eſt. Ante diluvium mundorum, & immundorum animalium diſcrimen notum erat, ac uſitatum; dixit enim Deus ad Noe Gen. 7. ver. 2. *Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena, & ſeptena, maſculum & feminam: de animalibus vero immundis duo, & duo, maſculum, & feminam*: ſed munda dicebantur, quorum uſus frequens

quens

quens erat in cibis, & Sacrificiis, immunda vero, quæ a cibis, & Sacrificiis arcebantur; ergo &c.

XXXVIII. Reſpondeo, animalia ante diluvium dicta fuiſſe, & diviſa in munda, & in immunda quoad uſum Sacrificiorum: quæ enim in Sacrificium aſſumebantur, dicebantur munda; quæ a Sacrificio arcebantur, immunda reputabantur. Quamvis enim diſcretio animalium mundorum ab immundis præſcripta demum legatur ſub Moyſe *Levit.* 11. nihilominus etiam ante Legem, immo ante diluvium, partim Dei inſtinctu, partim traditione Majorum, ea, quæ Sancti prædeceſſores divinitus illuminati idonea judicaverant ad Sacrificium de ipſis Deo offerendum, munda dicebantur, immunda vero, quæ non eſſe apta ad Sacrificium exiſtimarunt. Non autem munda dicebantur, vel immunda quoad eſum ante diluvium, immo nec ſtatim poſt diluvium. Hinc S. Thomas 1. 2. q. 103. art. 1. ad 4. *Diſtinctio* (inquit) *mundorum animalium, & immundorum non fuit ante Legem quantum ad eſum, cum dictum ſit Gen.* 9. Omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: *ſed ſolum quantum ad Sacrificiorum oblationem, quia de quibuſdam determinatis animalibus Sacrificia offerebantur. Si tamen quantum ad eſum* (ſubintellige poſt diluvium) *erat aliqua animalium diſcretio; hoc non erat, quia eſus illorum reputaretur illicitus, cum nulla lege eſſet prohibitus, ſed propter abominationem, vel conſuetudinem: ſicut & nunc videmus, quod aliqua cibaria ſunt in aliquibus terris abominabilia, quæ in aliis comeduntur.* Quod docuerat etiam Chryſoſtom. *Homil.* 24. *in Gen.*

XXXIX. Sed dices. Cur ex mundis animalibus ſeptena juſſit Deus in Arcam adduci, & ex immundis tantum duo? Niſi ut Noe, & familiæ ejus (duobus, maſculo, & femina exceptis, qui ad propagationem reſervabantur) eſſent in eſcam pro tempore, quo in arca erant moraturi.

XL. Nego tamen, hanc fuiſſe cauſam. Propterea igitur de omni ſpecie mundorum animalium ſeptem, tres ſcilicet fœmellas, & quatuor mares reſervari voluit Deus; ut ſcilicet unum par maris, & feminæ eſſet ad propagationem, ſecundum par ad Sacrificia paſſim poſt diluvium offerenda; tertium ad eſum hominum poſt diluvium; maſculus vero, qui ſolus ſupererat, erat pro Sacrificio ſtatim a fine diluvii offerendo, quod a Noe legitur factum *Gen.* 8. *v.* 20. Dici etiam poſſet, plura de mundis animalibuus fuiſſe introducta in Arcam, etiam ut aliqua erum eſſent Noe, & filiis ejus in uſum, ac cibum Deo concedente illi ſpecialiter, quod ſtatim toti humano generi conceſſurus erat. Ita videtur ſentire S. Chryſoſt. qui eſto, ut ſupra vidimus, initium edendarum carnium poſt diluvium afferat contigiſſe; *Homilia tamen* 24. *in Geneſ.* dicit: *Plura quidem præcepit ex mundis introduci, ut juſtus ille, & qui cum illo erant, ex illorum uſu aliquam conſolationem acciperent.* Verum bene conſideranda ſunt ea, quæ Chryſoſtomus ſubdit, nimirum, Deum juſſiſſe ſeptena numero impari introduci. Cum enim ſciret Noe juſtum ab Arcæ incommodis, & diluvii periculo liberatum, pro gratiarum actione hoſtias, & Sacrificia oblaturum, *ut ne hoc faciendo mutilaret paria, ideo Dominus . . . jubet ſeptena, & ſeptena introduci ex ſingulis avium generibus, ut cum ceſſaret univerſalis interitus, & ſuam mentem declaret, paria volatilium, cæterorumque animalium non læderentur, introducta fuerant, non ut in cibum ex parte abſumerentur, ſed ut intacta reſervarentur, unico excepto, quod erat in Sacrificium offerendum.*

Quemadmodum ergo S. Aug. *q.* 7. *in Gen.* verius exiſtimat, leones, aquilas, & cætera animalia carnivora, dum in Arca fuerint, animalium carnibus paſta fuiſſe, ſed aliis cibis eis convenientibus Deo diſponente, & Noe præparante: ita & ipſum Noe cum ſuis in Arca poſitum, animalium quidem pacificorum, ac mundorum conſuetudinem habuiſſe; ea tamen ad comedendum non uſurpaſſe, ſicut prius.

XLI. Sextum fundamentum eſt. Si animalia mactare ad eſum nefas fuiſſet, iis multiplicatis, maximum extitiſſet periculum vaſtationis ſegetum, maxime ab animalibus ferocibus, & rapacibus.

XLII. Reſp. hanc inſtantiam locum habere etiam in adverſa opinione. Nam Antediluviani homines animalia ferocia, & rapacia certe non mactaſſent ad comedendum; ergo iis multiplicatis maximum extitiſſet periculum vaſtationis ſegetum.

Dico, huic incommodo proviſum fuiſſe quoad animalia fera, & rapacia venatione, & aucupio, cui filios Cain maxime deditos fuiſſe, credunt multi. Immo & de Lamech traditur, quod dum venationi indulgeret, putans ſe occidere feram, occiderit Cain inter virgulta latitantem. Quam traditionem a Majoribus acceptam refert Sanctus Hieron. *Epiſt.* 145. *ad Damaſum*, modo *tom.* 2. *inter Epiſt. Criticas* 2.

Quoad animalia vero manſueta, domeſtica, & quorum carnes poſtea in uſum alimenti venerunt, eidem periculo proviſum fuiſſe exiſtimo. Tum quia non ita univerſalem ab eorum carnibus abſtinentiam apud homines fuiſſe, dixi, etiam ante diluvium; quin multi, iique forte maxima pars, naturæ corruptione in dies invaleſcente, carnes ad ingluviem vorarent. Tum quia homines, qui religioſe a carnibus temperabant, minus ſolliciti erant in eorum multiplicatione curanda, ſed ſolum tantum, quantum ſat erat Sacrificiis, indumentis, & etiam lacte ex iis comparandis; quo fiebat, ut multa nullo Cuſtode errarent, & a lupis, aliiſque feris diſcerperentur. Quibus accedebat divina providentia, quæ ſicut feras non adeo multiplicari ſinit, ut homini ubique inſidientur, ſed eas in montibus, ac deſertis locis continet; ſic & animalia cætera ante diluvium multiplicari permittebat, quantum uſui humano pro eo tempore neceſſaria erant. His reſponſio patet fundamentis Natalis Alexandri, aliorumque oppoſitum opinantium. Ponderet Lector prudens, quidque ſibi magis placuerit, eligat.

QUÆSTIO VII.

De peccati Originalis exiſtentia.

PEccavit Adam, ut vidimus, frangens præceptum, ſed non peccavit ſolus; in ipſo enim peccante omnes peccavimus, omnes ejus peccato infecti fuimus. *Etenim illud peccatum* (inquit Aug. Serm. 4. de verb. Apoſt. nunc ſerm. 153. cap. 11.) *non forte manſit, ſed pertranſiit: non illum, aut in illum, ſed in omnes homines pertranſiit.* Ex cænoſo fonte omnes rivi, qui ab eo defluunt, eodem cæno ſordidati oriuntur. Cum enim fuerit peccatum non ſolius perſonæ, ſed totius humanæ naturæ capitis, ſorde, qua ipſe pollutus fuit, totam infecit, ac ſordidavit naturam, quæ ex ipſo ſeminali propagatione erat traducenda. Quare jure vocatum fuit peccatum originis, quia origine contrahitur; & diſtinguitur in originale originans, & originale quaſi originatum. Illud eſt ipſum Adæ peccatum, quatenus fuit cauſa transfuſionis ſui ipſius in Poſteros. Iſtud vero eſt ipſum peccatum, ut per originem transfuſum in Poſteros; & hoc proprie vocatur originale, quia origine contractum. Et de hoc præcipue ſermo erit in hac, & ſequentibus quæſtionibus, queis primo inveſtigabitur, an ſit, & quomodo propagetur. Deinde quid ſit. Tertio quas ærumnas in univerſum genus humanum induxerit. Quarto quibus pœnis poſt hanc vitam puniatur.

DUBIUM I.

An omnes Homines de facto contrahant Originale peccatum.

§. I.

Errores recenſentur.

I. TAnti ponderis, & momenti eſt hujus dubii determinatio, ut ex peccati originalis aſſertione plures fidei articuli firmentur, qui, eo ſublato, evertuntur. Unde D. Aug. lib. 1. contra Julianum c. 6. *Quiſquis* (inquit) *in Chriſtiana fide vult labefactare quod ſcriptum eſt*: Per hominem mors... *totum, quod in Chriſtum credimus, auferre molitur.* Et lib. de pecccato originali poſtquam c. 23. propoſuit varias quæſtiones, in quibus ſalva fidei veritate licet alterutrum opinari, c. 24. ſubjungit: *Sed in cauſa duorum hominum, quorum per unum venumdati ſumus ſub peccato, per alterum redimimur a peccatis; per unum præcipitati ſumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam: quorum ille nos in ſe perdidit faciendo voluntatem ſuam, non ejus, a quo factus eſt iſte nos; in ſe ſalvos fecit, non faciendo voluntatem ſuam, ſed ejus, a quo miſſus eſt: in horum ergo duorum hominum cauſa proprie fides Chriſtiana conſiſtit.* Sedulo igitur pertractanda eſt, & pro merito diſcutienda, & ſtabilienda.

II. Primus, qui ſæculo quarto adverſus peccati originalis traductionem muſſitare cæpit, fuit Rufinus Presbyter. In Actis enim Concilii Carthaginenſis contra Cæleſtium, quæ refert S. Auguſtinus *lib. de peccato original. c.* 3. Interrogatus Cœleſtius, quibus magiſtris hunc errorem didiciſſet, reſpondit: *Sanctus Presbyter Rufinus, Romæ qui manſit cum Sancto Pammachio, ego audivi illum dicentem: quia tradux peccati non ſit.* Hoc idem de Rufino aſſerit Marius Mercator *in Commonitorio adverſus hæreſim Pelagii*, dicens: eum fuiſſe, qui *hanc ineptam, & non minus inimicam rectæ fidei quæſtionem, ſub ſanctæ recordationis Anaſtaſio Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifice, Romam primus invexit.* Quia vero Mercator hunc Rufinum dicit natione Syrum, ſuſpenſos reddidit Eruditos; an iſte Rufinus fuerit celebris Aquilejenſis Presbyter, ac Monachus a S. Hieronymo in Chronico ad *ann.* 377. recenſitus, Origenis acerrimus defenſor, ac Pelagiani dogmatis præformator; an vero alius perſona, & patria diſtinctus. Natalis Alexand. *Sæcul.* 4. *hiſt. Eccl. c.* 6. *art.* 33. Aquilejenſem fuiſſe contendit, qui errorem hunc inter familiares quidem docuit, ſed non prodidit. P. Garnerius autem, & Maurini, alium nempe Syrum fuiſſe autumant. Huic tamen Controverſiæ nos immiſcere, inſtituti noſtri non eſt.

III. Porro qui contra peccatum Originale in apertum prodiit, fuit Pelagius, acerrimus divinæ gratiæ hoſtis (cujus perſonam, patriam, mores, erroreſque ſuperius deſcripſimus *Tract. de Prædeſt. q.* 3. *Dub.* 1. §. 1.) quem ſecuti fuere ejus diſcipuli Cæleſtius, Julianus &c. Horum ergo capitale dogma, & veluti cæterorum baſis erat: *Progenitores humani generis Adam, & Evam mortales a Deo creatos, nec quemquam Poſterorum ſui prævaricatione tranſgreſſos læſiſſe; ſed ſibi tantum nocuiſſe, ſeque mandati reos apud Deum feciſſe, alterum penitus nullum. Homineſque eſſe peccatores imitatione, non* origine, & propagatione. Hæc paucis mutatis Mercator *in Commonit.*

IV. Cæleſtius vero publice auſus eſt hunc ſuum errorem per quinque ſententias explicare, ideſt:

Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, fuiſſet moriturus.

Quoniam peccatum Adæ ipſum ſolum læſit, & non genus humanum.

Quoniam infantes, qui naſcuntur, in eo ſtatu ſunt, in quo fuit Adam ante prævaricationem.

Quoniam neque per mortem Adæ omne genus hominum moritur; quia neque per Reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgit.

Quoniam infantes, etſi non baptizentur, habent vitam æternam.

Ita

Ita Marius Mercator inquit, unam, impiamque ſententiam complectuntur.

V. Ex his inferebant primo Pelagiani. *Concupiſcentiam, & libidinem non eſſe malum.* Unde ipſos patronos impudentiſſimos libidinis vocat S. Auguſt. *lib.* 3. *contra Julian. c. ultimo.*

Secundo. *Ignorantiam, & difficultatem, ſine quibus nullus homo naſcitur, primordia, non ſupplicia, dicebant eſſe naturæ.* Ex S. Auguſt. *lib. de dono perſev. c.* 11.

Tertio, *Oblivionem, & ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem.* Quam propoſitionem cum Pelagiani aſſererent de quacumque ignorantia, non ſolum invincibili (ut perperam exiſtimat Janſenius) ſed etiam vincibili, quæ aliquomodo involuntaria, & neceſſaria dici poteſt in ſe; ideo tamquam error a Palæſtinis Judicibus, teſte S. Aug. *lib. de Geſt. Pelagii cap.* 18. reputatur.

Quarto. Mortem, cæteraſque humanæ vitæ miſerias peccati pœnam eſſe inficiabantur. Ita S. Aug. *lib.* 2. *Oper. imperfecti contra Julian. c.* 236. Pelagianos increpans, ait: *Quas miſerias vos cum ſine ullo peccato accidere dicitis parvulis, injuſtum Deum vero vos facitis.*

Quinto. Parvulis ſine Baptiſmo morientibus vitam æternam promittebant, extra tamen regnum Cælorum quod ſolis baptizatis tribui aſſerebant. Hoc teſtatur Sanct. D. *l. de Hæreſ. c.* 88. dicens: *Promittunt eis extra Regnum quidem Dei, ſed tamen æternam, & beatam quamdam vitam ſuam.* Et lib. 1. de Anima, & ejus origine cap. 9. *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem, Regnumque Cælorum quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet, quaſi medium locum. Hoc enim eis etiam hæreſis Pelagiana promittit.* Pelagianis tamen impior fuit Calvinus, qui fatetur originale peccatum, & tamen pueros ex fidelibus ortos, etſi abſque baptiſmo decedant, in Regnum Cælorum admittit *lib.* 4. *Inſtit. c.* 15. §. 20. quem ſic redarguiſſet Auguſtinus citatus: *Iſte autem cum confiteatur parvulos originali obſtrictos eſſe peccato, eis etiam Regnum Cælorum non baptizatis auſus eſt polliceri: quod nec illi auſi ſunt, qui eos aſſerunt ſine ullo prorſus eſſe peccato. Ecce qualibus ſe laqueis præſumptionis innectat.*

VI. Errorem hunc Pelagianum, Auguſtini, & Africanorum Antiſtitum opera exſtinctum, Conſtantino III. Heraclii filio imperante, ac Theodoro Pontifice circa ann. 640. excitarunt Armeni credentes, Adamum ſibi tantum nocuiſſe, parvuloſque ex parte Adami nullam contrahere culpam, ſeu pœnam. Fatebantur tamen, Baptiſmum eſſe ipſis neceſſarium ad vitam æternam conſequendam, ſine quo parvuli eam non conſequerentur; non quidem propter peccatum originale, ſed propter privationem gratiæ, quæ in parvulis ſola gratia baptiſmali tolli poteſt. Hoc tamen addebant diſcrimen inter parvulos morientes ſine baptiſmo; quod ſi filii fidelium ſint, collocentur in Paradiſo terreſtri; ſi autem infidelium, aut hæreticorum, in Infernum cum parentibus ſuis detrudantur.

VII. Sæculo octavo, an. 716. Conſtantino VI. Imperatore, & Leone III. Rom. Pontifice, Albanenſes inter multos turpiſſimos errores, hunc quoque adoptarunt, nimirum, peccatum originale nihil eſſe, ideoque parvulos nulla originali labe maculatos naſci, aut Baptiſmo egere. In hoc luto ſæc. 13. anno 1216. Frid. II. Imperatoris, & Innoc. III. temporibus turpiter hæſerunt Albigenſes, Baptiſmum ceu inutilem, & ſupervacaneum rejicientes; eo quod nullum hominem peccaſſe in Adam exiſtimarent.

VIII. Ex Hæreticis vero recentioribus hac eadem fuligine tincti fuere Hulricus Zuinglius Canonicus Conſtantienſis, qui anno 1525. veterum hæreſum innovator factus, hanc etiam ex Pelagio docuit de peccato originali, quod ſit tantum naturæ morbus, non peccatum. Item Joan. Weſtphalus Germanus Doctor, & Concionator inſignis habitus ſub Carolo V. Imperatore, & Clemente VII. Pontifice, Secta Lutheranus, evulgare cæpit anno 1533. inter alia nullum eſſe peccatum originale, nec parvulos recens natos, aut conceptos illud contrahere, nec credendum eſſe Auguſtino hoc aſſerenti: putabat enim peccatum in homine eſſe non poſſe, niſi voluntaria commiſſione.

IX. Sociniani tandem, quorum originem, & errores ſupra *Tom.* 4. *Tract. de Trin. q.* 1. *Dub.* 1. §. 1. *n.* 14. *& Dub.* 2. §. 1. *n.* 6. qui hodie per Hollandiam, Angliam, aliaſque infectas nationes graſſantur, Trinitatis Myſterio everſo, Chriſto divinitate ſpoliato, Eccleſia a ſuis cardinibus evulſa, in peccatum quoque originale inſurgunt, dicentes primo. Hominem ante lapſum non fuiſſe immortalitate donatum; nec mortalitatem, neque mortem naturalem per peccatum intraſſe in Mundum, ſed moriendi neceſſitatem, & mortem æternam.

Secundo. Juſtitiam originalem in primo homine nullam fuiſſe.

Tertio. Peccatum originale nullum eſſe.

Quarto. Baptiſmum non eſſe præceptum, nec neceſſarium, nec eo ritu infantes regenerari. Hæc, aliaque ex Socino Sectæ auctore refert Alexander noſter *Hiſt. Eccleſ. ſec.* 15. *&* 16. *c.* 2. *art.* 12. §. 4.

X. Præterire non poſſum, inter negantes ab Adam trahi peccatum originale; ante Pelagianos fuiſſe etiam Manichæos, alio tamen principio motos: quia nimirum carnem putabant ab initio malam, animam vero colligatione cum carne coinquinari. Ita S. Auguſt. *lib.* 4. *contra Epiſt. fundam. cap.* 4. dicens; *In eo ſane, quod dicunt* (Pelagiani) *per Adam mortem ad nos tranſiſſe, non crimina, non habent adverſarios Manichæos: quia nec ipſi adſtruunt originale peccatum ex homine primo prius puro, & recto corpore, ac ſpiritu, & poſtea per arbitrium liberum depravato, deinceps in omnes cum morte tranſiſſe, & tranſire peccatum, ſed carnem dicunt ab initio malam de malo corpore, & a malo ſpiritu, & cum malo ſpiritu creatam; animam vero bonam, partem ſcilicet Dei, pro meritis inquinationis ſuæ per cibos, & potum, in quibus antea colligata eſt, venire in hominem, atque ita per concubitum carnis vinculo alligari ... At per hoc Manichæi conſentiunt Pelagianis, non crimen primi hominis tranſiſſe in genus humanum, neque per carnem, quam nunquam dicunt fuiſſe bonam, neque per animam, quam perhibent cum meritis inquinamentorum ſuorum, quibus polluta eſt ante carnem, venire in homines carnem.*

XI. Eccleſia tamen Catholica quovis ſæculo peccatum originale confeſſa eſt; illudque negantes tamquam Chriſtianæ fidei everſores anathemate deteſtata eſt. De hoc Catholico dogmate tractat D. Th. 1. 2. *q* 81. 82. *&* 83. Quia vero nobis propoſitum fuit omnia huic tractatui ingerere, quæ ad hominem, ejuſque ſtatus pertinent; idcirco peccati originalis exiſtentiam hoc dubio, & cætera, quæ de ipſo diſputari ſolent tum inter Catholicos, & hæreticos, tum inter Catholicos ipſos, diſcutimus.

§. II.

Exiſtentia Originalis peccati ex Scripturis.

XII. HAnc veritatem utrumque Teſtamentum Vetus, & Novum manifeſtat. Primum teſtimonium ex Veteri ſumitur ex illo Geneſ. 17. v. 14. *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit.* Quæ ponderans D. Auguſt. l. de pecc. origin. c. 30. *Quid enim* (inquit) *mali, quæſo, parvulus propria voluntate commiſit, ut alio negligente, & eum non circumcidente, ipſe damnetur, damnatione tam ſevera, ut pereat anima illa de populo ſuo? Neque enim temporalis mortis metus incuſſus eſt, cum de juſtis, quando moriebantur, tunc potius diceretur, & appoſitus eſt ad populum ſuum, vel oppoſitus eſt ad Patres ſuos: quoniam deinceps homini nulla tentatio formidatur, qua illum ſeparet a populo ſuo, ſi populus ejus ipſe eſt populus Dei.* Et c. 31. pergit dicens: *Quid ſibi ergo vult, pro nullo propriæ voluntatis admiſſo, tanta damnatio? Neque enim ſicut nonnulli ſecundum Platonicos opinantur, hoc uniuſcujuſque infantis animæ redditur, quod ante iſtam vitam ſua voluntate commiſit, cum haberet hoc corpus, vel bene, vel male liberum vivendi arbitrium; cum Paulus Apoſtolus apertiſſime dicat, nondum natos nihil egiſſe boni, vel mali.* Quare concludit: *Unde ergo recte infans illa perditione punitur, niſi quia pertinet ad maſſam perditionis, & juſte intelligitur ex Adam natus antiqui debiti obligatione damnatus, niſi inde fuerit, non ſecundum debitum, ſed ſecundum gratiam liberatus.*

XIII. Secundum teſtimonium exhibet Job 14. v. 4. qui ſecundum Verſionem lxx. *Nemo* (inquit) *mundus a ſorde, nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram.* Et ſecundum Vulgatam ſic ad Deum ait: *Qui poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* Quænam, quæſo, eſt ſordes, a qua nec infans unius diei mundus eſt, niſi ea, quam contraxit, quia ſemine immundo immunditia culpæ conceptus. Hanc enim ſolus Deus poteſt abſtergere, ſordes namque corporis diluere homines poſſunt.

XIV. Tertium exhibet David Pſalm. 58. v. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.* Vel, ut vertit S. Hieronymus, *in iniquitate conceptus ſum: & in peccato peperit me mater mea.* Porro quænam eſt iniquitas, in qua ſe conceptum, quodnam peccatum, in quo ſe partum fuiſſe dicit David? Certe non perſonale parentum, cum ex ſancto conjugio fuerit conceptus, non fornicario, aut adultero; ergo fuit peccatum origine contractum ab Adam. Propterea Sanctus Auguſtinus enarrat. in præfatum Pſalm. *Suſcepit* (inquit) *perſonam generis humani David, & attendit omnium vincula, propaginem mortis conſideravit, originem iniquitatis, & ait*: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum. *Numquid David de adulterio natus erat, de Jeſſe viro juſto, & conjuge ipſius? Quod eſt, quod ſe dicit in iniquitate conceptum, niſi quia trahitur iniquitas ex Adam? Etiam ipſum vinculum mortis cum ipſa iniquitate concretum eſt. Nemo naſcitur, niſi trahens pœnam, trahens meritum pœnæ.*

XV. Ex Novo teſtamento primum ac præcipuum dat Paulus *Rom.* 5. *v.* 12. dicens: *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Ex quibus ita diſcurro. Per unum hominem in hunc Mundum intravit quoddam peccatum, quod omnes homines fecit peccatores, & morti obnoxios: at hujuſmodi peccatum nequit eſſe in unoquoque actuale, ſeu actuali uniuſcujuſque voluntate commiſſum, quia non dixiſſet Paulus: *Per unum hominem intravit*, ſed dixiſſet: *Per unumquenque intravit;* quilibet enim eſſet auctor peccati, & mortis ſuæ, quod tamen eſt falſum: cum infantes morti ſint obnoxii, & ſæpe moriantur, antequam quidquam mali, aut boni propria voluntate egerint; ergo eſt peccatum, quod ab uno in omnes una cum morte pertranſiit. Hic autem unus debuit eſſe omnium hominum primus, nempe Adam, alias non in omnes homines ab illo peccatum, & mors pertranſiſſent. Peccatum autem, quod ab uno primo in Poſteros pertranſit, non alia via, quam originis tranſit; quia cum peccante illo, omnes in eo peccaverint, peccatum ipſius velut capitis in omnia membra diffunditur. Unde ait Paulus: *In quo omnes peccaverunt.*

XVI. Ut vim hujus Paulini teſtimonii, quo mire premebantur, evaderent Pelagiani, reſpondebant: revera per unum, nempe Adamum, peccatum intraſſe in Mundum, & in Poſteros pertranſiſſe, non origine, & propagatione, ſed imitatione.